R.P. GERVASII

PIZZVRNI,

ORD. MINIMORVM
S. Francisci de Paula Collegæ
Generalis Itali

ENCHIRIDION
EXORCISTICVM;

COMPENDIOSISSIME
Continens Diagnosim, Prognosim, ac
Therapiam Medicam & diuinam
affectionum Magicarum.

LVGDVNI,
Sumptib. LAVRENTII ANISSON.

M. DC. LXVIII.
Cum Approbationibus & Permissu.

PERILLVSTRI D. AC PHYSICO
Excellentissimo

D. HIERONYMO PIZZVRNO,

F R. GERVASIVS PIZZVRNVS, S.

OBTVNDEBANT caput in dies mihi dubiola ab energumenorum consanguineis proposita dum Genuæ exorcismis detinerer: quare iam tum præmeditabar quidpiam scribere, quo possem, vel in sanis irrequietum hunc curiositatis morbum persanare. Carptim è pluribus authoribus collecta nescio quæ mecum asportaui dum massiliã ad Comitia Generalia properarem, quæ & coordinaui iam vt vt potui stylo incurioso, quo faciliori, & pro ratione quidem otij, quod sanè modicum iam mihi datur ex quo supremis Religionis negotiis coactus sum assidere. Placuit autem Enchiridion exorcisticum inscribere continens Diagnosim, Prognosim, ac Therapiam Medicam & Diuinam affectionum Magicarum, quia cùm tibi nuncupanda hæc ipsa destinarem, ratus sum fore vt libentius legeres, si à medica vestra methodo hæc ipsa parum recessissent. Debueram sanè cuilibet alij quàm medico hanc elucubrationem commendare, cùm hoc perindè videatur esse, ac ouem Lupo tradere custodiendam, mirum enim quantum exorcisticæ oblatrare soleant charitati Ligustici nostri medentes. Verum enimverò noueram te, vel ex

eo tempore, quo Florentiam adueneras, vbi in magnificentissimo illo S.Mariæ nouæ Nosocomio per biennium Medicinæ rudimenta posueras, non ex illorum fore sensu Medicorum, qui ignorent Physicæ Medicinæ metas, dum & intra eius limites metaphysicos hosce morbos complecti nituntur, quibus tamen dum præstant ægri fidem, oleum & operam perdunt, aurique simul iacturam faciunt, quod cronicæ curationi incessanter persoluunt compotes nunquam salutis. Crediderim opusculum, quod in argumentum grati animi (vt cætera sileam nomina) defero, tibi placiturum, in quo & placebis mihi. Intereà loci rogo te, ne quandiu mihi Genua abesse contigerit permittas, vt de Epistolarum tuarum raritate conqueri iure possim. Vale.

Licentia

Licentia Reuerendissimi P. Generalis.

NOs Fr. Sebastianus Quinquet, totius Ordinis Minimorum Corrector Generalis, &c.

Ne amplius in Penetralibus cellæ delitescat liber, quem non leui sudore Comparauit, & cacodæmones exorcizando, & libros euoluendo R. P. Geruasius Pizzurnus, S. T. Professor, ac Collega noster pro natione Italica, cuius inscriptio est, *Enchiridion exorcisticũ Compendiosissimè Continens Diagnosim, Prognosim, ac Therapiam Medicam, & Diuinam affectionum magicarum.* Ideò dicto R. Patri tenore præsentium facultatem concedimus, vt ipsum prælo mandare valeat, obtenta prius approbatione. RR. PP. Collegarum nostrorum Galli, & Hispani, quorum iudicio, & examini dictum remittimus Opus. & in fidem, &c. Datum in hoc nostro Minimorum Lugdunensi Conuentu, hac die prima Octobris Anni 1667.

Fr. SEBASTIANVS QVINQVET,
Corrector Generalis.

Locus † sigilli.

D. Mto. Rmi. P. N. GENERALIS,

Fr. Alphonsus Laurentius De Pedraza,
Collega Hispanus.

Approbatio Theologorum Ordinis.

DE Mandato R^mi P. N. Generalis sedulè, ac attentè legimus Tractatum istum, à R. Adm. P. Gervasio Pizzurno, S. T. Emerito Professore, ac dicti R. P. Generalis simul nobiscum Collega, elaboratum. Et vltra sacram, ac Catholicam, quam continet, doctrinam; cuique nil dissonum inuenimus, maximam vtilitatem legentibus promittit, siquidem in eo astutias Dæmonum, ac modos, quibus hominibus nocere conantur, detegit; simul que medicamina & naturalia, & supernaturalia contra ipsas præscribit, omnes monendo de periculis, & fallaciis, quibus inermis hostis contra nos vtitur. In eo nodum indissolubilem illius, qui dicebat.

Dum breuis esse laboro, obscurus fio.

Mire dissoluit, siquidem in materia omnino obscura claritatem cum breuitate fraterno fœdere nectit. Vndè ex eius lectione ita lætus noster recessit animus, vt potiori titulo dicere possimus, quæ Seneca epist. 46. dum cuiusdam amici sui librum approbaret: *Tanta autem dulcedine me tenuit, & traxit, vt illum sine vlla dilatione perlegerem, non tantum delectatus, sed gauisus.* Quapropter non solum permittendum, quin potius præcipiendum ipsi est, vt quantocyus tam præclarum sudorem prælo mandari curet, vt omnibus cacodæmonum artes, viperinique halitus, ac contra venena innotescant. Sic censemus, sicque subscribimus in hoc Minimorum Lugdunensi Conuentu hac die sexta Octobris Anni 1667.

Fr. Petrus Rubat,
Collega Generalis Gallus

Fr. Alphonsus Laurentius de Pedraza,
Collega Generalis Hispanus.

In Enchiridion Exorcisticum adm. Reuerend. P. Fr. Geruasij Pizzurni, Collegæ Generalis Minimorum S.Francisci de Paula, olim Genuæ Exorcismis intenti.

EPIGRAMMA.

Sperabat Damon, Genua te abeunte, flagellis
Per plures annos posse carere tuis.
Nec fera bella pati, quæ tum exorcista parabas,
Queisque fere indomitum reddideras cicurem.
At spes vana malo, integrantur bella rebelli,
Quam voce haud scriptis exagitásque minus.
Ergo quid insanus nec dum tibi castra relinquit?
Si tua, queis cedat, fulmina pluma struit!

Adm. R. Petri Pauli Pizzurni Philosophiæ, Lectoris, in seminario Genuensi S. Laurentij.

In honorem Authoris Enchiridij.

ANAGRAMMA.

GERVASIVS PISVRNVS.
VNVS PIVS ARGVS ERIS.

Quarit quem perdat dæmon cautusque latescis,
Vt clamat Petrus, nos vigilare monens.
At modò detectus redeat confusus in orcum,
Pro cunctis, vnus *Tu* Pius Argus Eris.

F. AND. HEN. R. M.

Approbationes Doctorum.

ENchiridion Exorcisticum Authore R. P. Geruasio Pizzurno Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Collega Generali, legi Ego infrà signatus facultatis Parisiensis Doctor Theologus, nihilque in eo deprehendi, Quod non sit praxi & doctrinæ Ecclesiasticæ penitùs conforme; Actum Lugduni hac die decima quarta Nouembris 1667.

Fr. MOREL.

VIdi librum cuius titulus est *De Diagnosi, seu Dignotione affectionum Magicarum.* In quo nihil agnoui fidei contrarium, nec bonis moribus repugnans, quapropter imprimi posse existimabam. Lugduni die 16. Ianuatij 1668.

ARROY, Doctor Sorbonæ & Ecclesiæ Lugdunensis Theologus.

VIsis Approbationibus, non impedio quin prædictus liber typis mandetur, cum inhibitionibus solitis. Lugduni die 16. Ianuarij 1668.

GALLIAD.

FIat, vt ferunt Conclusiones Procuratoris Regij, eâdem die Ianuarij 1668.

DVLIEV.

SERIES

SERIES
Partium, Librorum, & Capitum huius Operis.

PRÆLVDIVM.

** VI. De

DE

DE DIAGNOSI SEV DIGNOTIONE affectionum magicarum.

PRÆLVDIVM.

CVM Cacodæmones, mali ſcilicet Angeli, maleficiorum potiſſima ſint cauſa, nullúſque ſit, cui morbum curare contingat, ſi morbi cauſam ignoret; túncque verè ſciamus cum per cauſas cognoſcimus, operæ pretium duxi præmittere nonnulla de Angelis in communi, mox de dæmonibus. Sit ergo.

CAPVT I.

De exiſtentia, & eſſentia Angelorum.

FIDEI ſententia eſt Angelos exiſtere. Contra Atheiſtas, Saducæos, & alios Hæreticos.

1 Scripturæ docent Angelos deſtinatos eſſe ad hominum cuſtodiam. Hebræor. 1. Pſalm. 90. Matth. 4. & narrant quàm

 plures

plures eorum apparitiones, Genes.16. & 19. Num.22. 2.Regum 14. Tobiæ 12. Iob 12. Daniel 7. Matth.1.8.13.16.18. 22.24.25.& 28. Marci 13. Lucæ 1.2.8.16. & 22. Actorum 1. & 12.1. ad Timoth.8. Petri 2. Epist.cap.2. Ioan.1.cap.4. Ex quibus non solum colligitur Angelos existere, sed etiam esse naturæ intellectualis ac excellentioris homine. Quamuis nomen Angelus ex se non sit nomen naturæ, sed officij, nuncium significans.

2. Definitur in symbolo Constantinop. vbi habetur *factorem cæli & terræ, visibilium & inuisibilium*, id est, Angelorum; & in Concilio Lateran.infrà citando.

3. SS.PP. consonant. D.Dionys. cap.4.de diuinis nominibus. S. Athanasius q. ad Antiochum. S.Augustinus lib.11. de ciui.cap.13.14.15. & lib.12. cap.16. & lib.15. cap.23. & in Psal.103. v.4. Damasc. lib.2. de fide. Hieronym. ad cap.18. Matth. & in epist. ad Ephes. Ambrosius ad cap.1. Hebræor. Isidorus lib.1 de summo bono cap.12. Gregorius Hom.34. in Euang. & 2. Moral. c.3. & denique Scholastici omnes, Magister ac eius interpretes in 2. dist.8. Noster Mersennus in Gen. cap.1.v.1. cap.5. Obiect.25. Solent quoque aliæ rationes assignari, quæ despiciendæ non sunt: Aristoteles fuit permotus motu cæli, quem non nisi ab intelligentiis esse censuit 12. Met. cap.6.7.8. D. Thomas 2. contra Gentes c.46. ab illa ratione scilicet, quia omne agens producit simile sibi, nulla quippe datur perfectio in effectu, quæ non reperiatur in sua causa: sed Deus est simpliciter spiritualis, & est causa effectiua Angelorum: ergo cùm Deus sit simpliciter spiritualis, & substantia quædam perfectissimè completa, concedendi erunt Angeli necessariò. Alij ab experientia lunaticorum & obsessorum à Dæmone, qui dum linguis, quas numquam didicere, loquuntur, futura prædicunt, absentia tanquam præsentia referunt, & alia patrant (quæ in astra, siue in morbos reduci non possunt, cùm sint intellectus experria; nec in homines, cùm vires eorum superent. Neque in Deum vt causam particularem, cùm id genus homines sæpe blasphement Deum, aut ei maledicant, detegant peccata, &c. quæ Deo tribui non possunt; Neque in Angelos bonos, quippe qui ad salutem illorum potius, quàm ad ruinam tendunt, vt probat noster Maignan in sua Philosophia Sacra c.14.prop.11. n.13. Neque in animas separatas, cùm enim sint eiusdem rationis,

tionis cum animabus illorum, qui torquentur; non possunt super eos dominium habere) ostendunt in se esse substantiam aliam nobiliorem & potentiorem.

Dico 2. Angelos incepisse in tempore. Definitum est in Concilio Lateran. cap. Firmiter de summa Trini. vbi docetur *Deum simul in principio temporis vtramque ex nihilo condidisse creaturam, spiritualem scilicet, & corpoream, & mundanam ex corpore & anima constitutam.* Ratio est, quia Angeli sunt partes vniuersi, & spectant ad integritatem ipsius; ergo non fuit conueniens creari ante productionem mundi.

Dico 3. fuisse Angelos creatos simul cùm creaturis materialibus. 1. Patet Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram*, id est, antequam quidquam esset, alioquin si Angeli antecessissent, illi constituissent principium, non verò cæli & terræ creatio.

2. Non est credibile, Angelos à Moyse omissos, cùm sint præcipua vniuersi pars; ergo comprehenduntur nomine *cæli*, ergo simul cùm terra & cælis propriis creati sunt.

3. In Concilio præallegato statuitur Deum simul vtramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corporalem; Angelicam nimirùm & mundanam, dein humanam: Tò autem *dein* significat hominem fuisse post Angelos, mundum verò simul cùm Angelis productum: aliàs illa particula soli homini malè fuisset applicata.

Obij. 1. Origenem, Basilium, Anastasium Sinaïtam, Nazianzenum, Nicetam, Moysem Episcopum, Clementem Papam, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, & Cassianum, qui docent Angelos fuisse creatos ante res materiales.

℟. Verum esse, illis tamen opponimus D. Augustinum 12. de ciui. cap. 15. S. Gregorium Magnum, Bedam, Rupertum, Epiphanium & Theodoretum relatos à Suario cap. 3. Scholasticos omnes cùm D. Thoma 1. p. q. 62. ar. 2. & cum Magistro in 2. dist. 2. Item & loca Scripturæ, quibus magis conformis est nostra conclusio,

Obij. 2. Iob c. 38. Deus inquit se *ab astris matutinis*, id est, Angelis, *laudatum, quando ponebat fundamenta terræ.*

Resp. 1. in Vulgata non inueniri, *quando facta sunt astra; Sed vbi eras quando me laudarent simul astra matutina?* 2. quamuis simul creati sunt Angeli cùm terra, potuerunt in eo instanti laudare Deum, non minùs quàm si anteà fuissent.

Obii. 3. Iob c. 40. de Behemoth, siue Lucifero, dicitur: *ipse est principium viarum Domini.*

℞. Luciferum dici principium negatiuè, in quantum ante eum nihil fuerat creatum, & quia nobilitate & perfectione erat maximus.

Obj. 4. D. Paulus ad Titum cap. 4. ait, *Deum ante tempora sæcularia promisisse vitam æternam.* Ergo ante mundum corporeum debuerunt esse Angeli, quibus id promitteret.

℞. Loqui Apostolum de voluntate promissiuâ, quæ fuit ab æterno etsi actualis promissio non fuerit.

Dico 4. Angelos in cælo creatos fuisse. Colligitur ex illis locis, quæ Luciferum de cælo cecidisse affirmant.

Dico 5. Angelos non esse corporeos.

Probatur 1. ex S. Scriptura, quæ Hebræ. 1. Matth. 8. & aliis locis Angelos siue bonos, siue malos sæpè vocat spiritus; spiritus autem est res incorporea; alioquin etiam homo deberet significari nomine spiritus, non secus ac Angeli. 2. quia Concilium Later. ait Angelum esse creaturam spiritualem. 3. ex SS.PP. apud Suarez cap. 6.

4. Quia Angeli quoad naturam sunt creaturæ mediæ inter Deum & hominem; ergo hominis compositionem admittere nequeunt.

Dico 6. Angelos esse simpliciter immateriales.

Probatur 1. ex SS.PP. qui docent in Angelis nullam extare materiam. Ita S. Dionys. cap. 4. lib. de diuinis nominibus, S. Thomas 1. p. q. 50. ar. 2.

2. Materia dicitur esse principium transmutationis, & corruptionis; quippe quæ definitur à Philosopho primum subiectum ex quo existente aliquid fit, & in quod vltimò omnia resoluuntur; certum autem est Angelos esse incorruptibiles; vt probat D. Thomas 1. p. q. 50. ar. 5. ad 3. *Non dicitur aliquid corruptibile per hoc, quod Deus possit illud in non esse redigere subtrahendo suam conseruationem, sed per hoc, quod in seipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem vel saltem potentiam materiæ.* Confirmatur, quia ex Concilio Later. sess. 8. anima rationalis natura sua est immortalis; ergo idem asserendum de Angelis, cùm sint substantiæ non minus spirituales, & simplices, quàm anima.

3. Quantitas est propria affectio materiæ; in Angelis autem nulla datur quantitas molis.

CAPVT

CAPVT II.

De existentia & essentia Dæmonum.

DICO 1. De fide est non solùm extare Angelos; sed etiam verè dari bonos & malos: De bonis enim dicitur Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Et Luc. 15. *Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.* De malis verò dicitur Apoc. 20. *Proiectus est draco ille magnus qui seducebat vniuersum mundum & missus est in stagnum ignis & sulphuris.* Luc. 10. *Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem,* & Matth. 25. *discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est vobis & Angelis:* Et patet rationibus allatis cap. 1. concl. 1.

Dico 2. Dæmones nullo pacto esse corporeos.

Probatur 1. quomodo enim ex inferno ad nos remearent, ac proindè penetrarent terram, cuius semidiameter milliaribus 3436. ½. constat, teste nostro Mersenno in cap. 1. ver. 1. Gen. ratione 28. quomodo ingrederentur aulam vndique occlusam, si penetrabiles non essent cùm corporibus? quomodo vna integra legio, quæ 6666. complectitur, vnum hominem, vt Lucæ 8. habetur, simul obsidere potuisset, si impenetrabiles essent? quomodo tam velociter ex vno loco ad alium quantumuis distantem intra breuissimum tempus accedere possent, quomodo non defatigarentur, quomodo non indigerent cibo, si essent corporei eo modo, quo sunt homines?

Obij. 1. Origines, Basilius, Ælias Cretensis, Cæsarius, Augustinus, Bernardus, Rupertus & alij apud Suarez cap. 6. docent Angelos partim corpore, partim spiritu constare; & fundantur in loco illo Genesis 6. vbi filij Dei, id est, Angeli, dicuntur ingressi ad filias hominum, & ex eis genuisse filios.

℟. SS.PP. re adhuc tunc non benè discussa in eam sententiam inclinasse. Vel interpretandos, sensisse quidem esse corporeos, id est, habere dominium assumendi omne corpus. Ita noster Mersennus in problema. 54. Veneti. Ad locum Gen.

℟. nomine filiorum Dei, non Angelos, sed homines intelligi, præsertim cùm ibidem etiam mulieres appellentur *Filiæ Dei*. Vel si velis de dæmonibus incubis illum locum intelligere, adhuc non facit contra nos, siquidem in assumpto corpore, & ex alio homine accepto semine, mentiri se potuerunt homines, & generare simulasse, non tamen verè gignere.

Obij. 2. Dæmones delectantur suffitu & odore sacrificiorum sibi factorum.

℟. Id intelligendum est, quod voluntas eorum interdum adimpleatur, non autem quod verè & de facto delectentur.

Obij. 3. Dæmones vinculis obstringi apud inferos, & ibidem cruciari ab igne, & à malo odore.

℟. Id intelligendum esse metaphoricè, quatenus scilicèt illic detinentur contra propriam voluntatem; & etiam specialiter à Deo dæmones eleuari, vt igne & eo malo odore torqueantur, quatenus habent rationem instrumenti Dei vindicantis & vlciscentis peccata dæmonum.

Obij. 4. Angelos frequenter mortalibus apparuisse in forma corporum.

℟. Angeli, cùm sint substantiæ perfectæ, non habent corpora sibi naturaliter vnita, interdum tamen assumunt corpora. Hoc pacto Genesis 18. & 19. & introducuntur Angeli ita apparentes hominibus, vt ab iis viderentur, audirentur, & tangerentur, hæc autem omnia saltem coniunctim considerata, sanè indicant, non fuisse visionem imaginariam, sed alicuius corporis sub sensum cadentis. Induunt se sæpè in statuas; loquuti sunt in Idolis; Assumunt etiam humana corpora tum viua, eaque agunt & vexant, & impediunt eorum opera naturalia; tum mortua cùm hæc minus resistant; tum corpora ex aëre, aliáue materia confecta, norunt enim condensare vapores, & exhalationes in modum nubium, aliorúmque corporum consistentium, & impedire ne talis materia dissoluatur, aut diffluat: sed illa non informant; nec vt anima humanis artubus, sic illis vitam impertit. Sed nec in eamdem transeunt hypostasim, vt quondam Dei Verbum in vnius & eiusdem societatem personæ carnem nostram asciscens. Angeli enim & dæmones statim vt illis visum erit, ascita corpora deponunt. Vnde assumptio non fit per informationem, aut aliam vnionem substantialem, aut per illam eamdem rationem, quâ accidens coniungitur suo subiecto, sed

per illam eamdem rationem, quâ motor vnitur mobili. Ita noster Rangolius in lib.1. Regum ver.14. cap.28.q.132.

Nota tribus modis fieri posse apparitiones. 1. verè & realiter absque vlla illusione sensuum internorum aut externorum, quales sunt illæ Genesis 18.19.32.Luc.1.2.2. cum illusione, ita vt videatur aliquid oculis externis quod minimè videtur, vt visiones Apocalypsis;non enim obiecta visa sensibus externis deprehendebantur, sed mediis quibusdam speciebus impressis phantasiæ; & imagini. 3. quando res verè obiicitur sensibus externis, & tamen non videtur, vt est à parte rei, sed longè aliter quam sit, ob speciem impressam phantasiæ, quæ aliter repræsentat obiectum visum oculis externis, quàm de facto sit in seipso, quales sunt illæ, quæ fiunt quandoque per solam magiam naturalem, quandoque verò ope bonorum & malorum Angelorum.

Obij. 5. Angeli loquuntur, comedunt, & bibunt, itemque peregrinantur cum hominibus, vt patet pluribus experientiis, & ex historia Tobiæ, & ex c.18. & 19. Gen.

℞. Locutiones istas, comestiones, & deambulationes fuisse solùm apparentes ob similitudinem, quam habuerunt cum locutionibus, &c. veris; non enim datur actio vitalis, quæ non fit à principio vitali, vitaliter operante; in Angelis autem bonis vel malis non datur principium vitale, sensile, & organicum.

Obij. 6. Secunda Synodus Nicæna approbasse dicitur epistolam Ioannis Episcopi, qui Angelos depingi possè docet, quia corporei.

℞. eam epistolam fuisse approbatam, nisi quoad punctum substantiale de adoratione imaginum; non autem quoad rationem, quâ ille Pater mouebatur: nam de illa non agèbat Concilium.

Obij. 7. Platonici asserebant esse quædam animalia aërea, quæ dæmones nominabant & ad Eph.1. dæmon dicitur Princeps aëris huius.

℞. Ita loqui, vel quia corporum aëreorum naturam, assumunt, vel quia habitant in aëre saltem aliqui.

Dico 3. dæmones sic posse definiri: esse spiritus intellectiuos, immundos, æuiternos, ab omni materia, & physica compositione seiunctos. Dicuntur *Spiritus intellectiui* loco generis, cùm per hoc conueniant cum animabus separatis, & in

 conceptu

conceptu substantiæ spiritualis, & in conceptu intellectiui. Dicuntur *immundi* ad differentiam Angelorum bonorum. Dicuntur *æuiterni*, quia fuerunt in tempore creati, & semper ex natura sua durare debent. Dicuntur, *ab omni materia, & physica compositione seiuncti*, ad differentiam brutorum, & animæ rationalis, quæ licèt separata à corpore, & vnita cùm illo vocetur spiritus, tamen quia est compars illius, semper dicit ordinem ad illud.

CAPVT III.

De Angelorum numero.

IN Scripturæ locis certus non habetur numerus. Nam dicitur Daniel. 7. *Millia millium ministrabant*, &c. & Iob 25. *Nunquid est numerus militum eius*? Matth. 26. *An putas quia non possum rogare Patrem meum & exhibebit mihi modò plusquam 12. legiones Angelorum?* & Apoc. 5. *& erat numerus eorum millia millium*; & Hebræor. 12. *Multorum millium Angelorum frequentiam.*

Si à SS. Patribus calculum requiris, S. Gregorius lib. 17. magnorum mor. cap. 9. ait. *Supernorum ciuium numerus infinitus & definitus exprimitur: vt qui Deo est numerabilis, esse hominibus innumerabilis demonstretur.*

S. Athanasius oratione ad populum Antiochenum tot esse censet Angelos, quot fuerunt, quot sunt, & quot futuri sunt homines: iuxta illud Deut. 32. *Constituit mundum iuxta gentium numerum.*

Sed alij asserunt esse plures Angelos, quàm homines in indiuiduo: tum quia ex vna tantum hierarchia designantur custodes hominum, & quilibet hominum suum proprium habet custodem, qui alterius hominis custos nec erit, nec fuit; ergo hæc sola hierarchia minimum æquat numerum hominum; ergo hi excedunțur numero ab Angelis, ratione aliarum hierarchiarum; tùm ex reuelatione S. Brigittæ (de qua & Dionysius Carthusianus in cap. 14. Areopagitæ de cælesti hier.) cui à Deo refertur reuelatum, pro singulis hominibus posse esse decem Angelos.

D. Th. 1.

D. Th.1.p.q.50 ar.3 docet numerum Angelorum superare multitudinem rerum sensilium & insensilium, iuxta illud D. Dionys.cap.9, cælestis Hierar. *Multi sunt beati exercitus supernarum mentium infirmam & constrictam excedentes nostrorum materialium numerorum commensurationem*: Siquidem cùm Deus in creatione rerum perfectionem vniuersi intenderet, quò aliqua sunt perfectiora, eò in maiori excessu produci debuerunt, vel secundùm magnitudinem, vt cæli, vel secundùm multitudinem, vt Angeli.

Albertus Magnus, quem sequitur & citat noster P. Deregroles in cap.1. ver.3. Zach. sec.2.q.4. Cassaneus 3. p.6. consid. catalogi gloriæ mundi, hunc indeterminatum Angelorum excessum definiunt dicendo choros singulos Angelorum continere 6666. legiones.

Columbus lib.1. disp.2.c.4. asserit quod inter Angelorum ordines, quò alius alio superior est, eò illum excedat decuplo in hypostasum numero, iuxta illud Daniel.7. *Millia millium ministrabant ei; & decies millies centena millia assistebant ei.* Vbi constat quod millies plures dicuntur esse, qui pertinent ad tres supremos ordines assistentium, quàm qui ad sex inferiores ordines ministrantium. Dato igitur quod numerus Angelorum primi ordinis sit 6666. Legionum consequenter decuplo maior erit numerus Archangelorum, id est, 66660. eisque decuplo maior numerus Principatuum, hoc est 666600. & sic de reliquis.

Ex illo loco Apoc.12. vbi dicitur draco cauda sua tertiam partem stellarum traxisse, deducitur non tot Angelos peccauisse, quot permanserunt, vt docet S. Th.1.p.q.63. ar.9. atque adeò plures esse bonos, quàm malos Angelos, qui fortasse non nisi tertiam bonorum partem adæquant.

CAPVT IV.

De discrimine inter Angelos.

PRimum discrimen inter Angelos est ratione Ordinis. Concors enim omnium Theologorum tradit sententia, omnes Angelos esse in tres Hierarchias diuisos, quamlibet

Hierarchiam in tres Ordines, quemlibet Ordinem in plures Angelos.

Primam partem ostendit D. Th.1.p.q.108. ar.1. tum ex Dionysio cap. 6. cælestis hierar. tum quia hierarchia idem est, quòd sacer principatus, seu Sacra Respublica, vnde etiam inter homines est Ecclesiastica hierarchia sub Christi Vicario, vt sub capite. Duo autem in quolibet principatu spectantur, scilicet Princeps, & multitudo Sacra sub eo ordinata. Si igitur Sacrum illum principatum consideres ex parte Principis, non nisi vnus dicetur: si autem eundem spectes ex parte multitudinis gubernatæ, Angeli sunt in tres hierarchias diuidendi iuxta triplicem modum gubernationis; qui enim sunt supremæ hierarchiæ modo quodam eminentiori gubernantur, eò quod diuinas illuminationes multò nobilius participent: qui verò secundæ, sunt media quadam ratione: denique qui sunt infimæ, adhuc minùs perfecta ratione gubernantur.

2. Partem probat ar.2. quia in qualibet hierarchia diuersitas ordinum petitur ex diuersis officiis & attributis. At omnes ordines ad tres reuocari possunt, secundùm quòd quælibet multitudo perfecta habet principium, medium, & finem; vt constat in ciuitate, vbi aliqui sunt supremi, vt optimates: aliqui medij, vt populus honorabilis: alij verò infimi, vt vilis ingloriúsue populus. Vnde cùm tres sint hierarchiæ Angelorum, in vnaquaque hierarchia tres esse ordines eorum intelligitur, non plures, nec pauciores. Infimus est Angelorum, à communi vocabulo ministrandi hominibus, quòd etiam minimam eorum arguit perfectionem. Archangeli in altiori ordine, perfectione, & iurisdictione supra Angelos constituuntur. Tertius in hac hierarchia ordo est Principatuum, quibus tribuitur aliqua iurisdictio ad imperandum Angelis & Archangelis, ad instruendum & illuminandum, iuxta dispositionem diuinæ prouidentiæ sibi manifestatam. Ex his autem alij in vrbium, alij in Prouinciarum, alij in Regnorum custodiam à Deo sunt deputati. Secunda hierarchia in infimo loco habet potestates, ad quas spectat, vt statuant & disponant, quæ per præcedentem hierarchiam sunt executioni mandanda, & habent in dæmones specialem potestatem, vt ait S. Gregorius. Secundi sunt virtutes, ad quos pertinet patrare opera omnia miraculosa. Tertij Dominationes,

quæ

quæ mandando ipsis potestatibus & virtutibus præsunt. In suprema & tertia hierarchia infimi sunt Throni, quòd sint quasi sedes Dei; Secundi Cherubini, sic dicti à scientia; Tertij Seraphini à plenitudine amoris, qui omnes ante faciem Dei solùm assistunt.

Tertiam partem probat ar.3. tum ex cap.6. Isaiæ, vbi dicitur, quòd Seraphim clamabant alter ad alterum; tum quia cum imperfectè cognoscamus Angelos, & eorum officia, non possumus distinguere ordines & officia eorum nisi in communi, quomodo plures Angeli sub vno ordine continentur.

2. Differunt ratione naturæ & speciei. Probabilis enim est D.Thomæ 1.p.q.106. ar.4. sententia: Angelos vnius hierarchiæ esse distinctæ naturæ ab Angelis alterius hierarchiæ: & in vnaquaque hierarchia Angelos primi ordinis esse diuersæ speciei ab Angelis alterius ordinis. Item omnes Angelos eiusdem ordinis non posse differre solo numero, nec posse esse duos eiusdem speciei, sed necessariò singulos quosque differre specie: quia materia affecta quantitate est principium indiuiduationis intra eamdem speciem: cùm igitur Angeli careant materia & quantitate, nequeunt distingui solo numero sub eadem specie.

3. Differunt Angeli moribus, quod aliqui boni sint, & aliqui sint omnis improbitatis auctores: quorum omnium integra quidem est natura: sed illorum voluntas recta & bono iugiter adhærens, istorum verò peruersa ac labefactata; ac malo immobiliter addicta; ita vt sicut illi non possunt offendere, ita nec isti resipiscere. Maignan in Philo. Sacra cap.1.p.1. prop.6. & 8.

4. Differunt ordine, quòd boni sint ordinati nedum ordine naturæ, sed etiam ordine quodam gratiæ, siue gloriæ: mali autem sint ordinati non quidem ordine quodam gratiæ seu gloriæ, nam ab vtraque per peccatum exciderunt, sed ordine naturæ: quia dona naturalia non amiserunt, & sic alij aliis excellentiores sunt, & prælati, quia in naturalibus donis inæquales fuerunt; ac proinde quos Deus creauerat perfectiores in natura ante peccatum, eos etiam in tali præeminentia, & in tali bono, vtpote purè naturali, & non gratuito, conseruauit. Hinc fit vt dæmones in natura minus perfecti perfectioribus subiiciantur in operando: sicut videmus corpora sublunaria, cælestium motibus cum dependentia ab eorum influentiis

influentiis subiacere. non alia de causa, nisi quia naturali ordine sunt inferiora. Quando verò dicitur, in inferno nullum esse ordinem: intelligitur de ordine, qui sit de bono gratiæ, & gloriæ, non de bono naturæ. Nam dæmones veri sunt duces in perpetua discordia concordes pro malo patrando: horum autem concordia, obedientia, & subiectio fundatur non in propria & personali iustitia, quâ carent: sed in iustitia Dei ordinantis.

Nouem autem ordines à nostro Reyroles in cap. 1. ver. 3. sec. 2. q. 6. enumerantur. Alij enim sunt ordines Pseudotheorum, qui Dei sibi arrogant honorem ementitam diuinitatis vmbram effingentes: eorum princeps est Beelzebuth. Alij vltores scelerum, Dei iudicis ministri, & iudiciorum diuinorum executores, quorum princeps est Asmodæus, id est, faciens iudicium. Alij sunt præstigiatores, qui factis prodigiis, quasi simiæ Deum imitantur, & magicis deludunt artibus rudium animos: horum princeps est satan, Alij sunt spiritus mendacij, qui fraudulentis pollicitationibus dolos meditantur: quorum princeps est Python. Alij sunt qui dicuntur aëreæ potestates, tonitrua, grandines, & pluuias excitant: talium princeps vocatur Meritim. Alij dicuntur furiæ, & seminant bella & rixas: princeps huius Ordinis, Hebraicè *Abaddon*, Latinè *exterminans* dicitur. Alij sunt catabolici, à quibus obsessi dirè affliguntur. Alij pythonici, hoc est vaticinatores. Alij peredrij, id est, familiares, seu accessores. Alij omropompi, id est, malorum somniorum auerruncatores, vel ostentatores bonorum, &c.

CAPVT V.

Quæ Magi per dæmones efficere possint?

1. PLura possunt Magi per dæmones. 1. circa elementa, ad quod reducuntur tempestates, tonitrua, grandines, venti, inundationes aquarum, terræmotus, ruinæ ædificiorum incendia, translationes segetum, arborum. Ximenez to. 2. lib. 20. exhor. 1. §. 1. n. 3. §. 2. & 3.

2. Circa corpora animalium & hominum; ad quod pertinent

nent 1. motus locales, quibus lamiæ quandoque, reuera, & non sola imaginatione (licèt id etiam sæpè contingat) transferuntur de vno loco ad alium. De Ancre trac.1.2.productiones animalium imperfectorum, v.g. renarum, muscarum,&c. quæ breui gigni possunt per applicationem naturalium actiuorum ad passiua. 3. transformationes hominum in bruta, eo sensu quo explicabimus part. 1. cap. de maleficiis, n.... 4. effossiones thesauri. 5. locutiones & ambulationes statuarum, brutorum more humano. 6. remotiones, siue abscissiones aliquarum partium hominis absque dolore. 7. apparitiones omnium signorum mortis in aliquo viuente mediis quibusdam narcoticis omnem sensum & forte respirationem saltem 4. horarum spatio impedientibus, quòd in Virgine quadam amasia contigisse refert noster Mersennus in cap.2. ver. 21.Gen.c.41.8. impositiones puluerum iuxta caput hominis, quibus inducitur profundus somnus.9. nocumenta in bonis, & in fama, siue obloquendo in ipsam humana forma assumpta, siue fingendo casus, in quibus quis delinquere videatur. Sicut interdum Deus permisit inueniri sub lectulo cuiusdam sancti viri in forma procacis puellæ, vt in vita S.Hieronymi. 10. variæ apparitiones. De istis consulendus est Estius in 2. sent. dist.7. Olaus Magnus lib.2. popu. septentr.c.2. & lib.3. c.81. De Ancre trac.7.11. aliquæ leuitates, quas præstant dæmones, vt faciant se hominibus familiares, quos decipere conantur.12. morbi,13. eorumdem curationes, vel per applicationem medicamentorum vtilium; vel per purgationem aëris, vel per reductionem humorum infectorum ad iustam temperiem.

3. Circa animas, ad quod spectant illæ omnes operationes, affectionésque animæ quæ pendent ex organo & dispositione corporis: vt sunt illusiones potentiarum animæ sensitiuæ, & inuersiones actionum nedum loco motiuarum, sed cognoscitiuarum externarum & internarum; simulque & appetitiuarum, vt ostendunt Torreblanca lib.2. de magia c.14. & 15. lib.3. de iure spirituali cap.5. & 6. Gaspar Brauo p.6. consult.17. §.6.7.

CAPVT

CAPVT VI.

Quanam dæmones nec per magos, nec per seipsos præstare possint?

1. NOn possunt destruere, vel subuertere vniuersum, cùm enim sint eius partes, non habent vim in totum, cuius sunt partes. 2. non possunt mutare cursum solis, vel aliquod elementum euertere; vel facere vt detur vacuum; quia aliàs perturbarent totum ordinem vniuersi, quod diuinæ prouidentiæ & gubernationi opponitur. 3. Nec possunt mouere quodlibet corpus quantalibet velocitate, & minus in instanti, cùm habeant vim motiuam definitam; Nec facere, vt duo corpora sint simul in eodem loco, vel vnum corpus in duobus locis simul, vel quod vnum penetret dimensiones alterius; nec corpus longè à se distans mouere secundùm locum, alioquin possent mouere per vacuum; Nec transferre corpus ab extremo ad extremum & non per medium. 4. Non possunt producere corpus aliquod ex nihilo, cùm talis productio soli Deo cõpetat ex S.Thoma 1.p.q.45.ar.5. 5. Circa actiones dæmonum mediatas per applicationẽ, non possunt immediatè introducere vllam formam substantialem, vel accidentalem; quia cùm sint spirituales, non possunt alterare materiam corpoream, ex qua formæ naturales educuntur. 6. Nec possunt ex quolibet facere quodlibet, nec per quamlibet causam, vel instrumentum quemlibet effectum producere; cùm nec medicus per quæ vult sanet. Quare nec possunt cæco nato visum restituere, minus tollere senectutem, quidquid enim possunt, possunt per applicationem virtutum naturalium; hæ autem non possunt curare morbos prædictos & similes, qui sunt simpliciter creatæ naturæ incurabiles. Perer. lib.8. in Gen. disp.3. cap.5.7. Neque possunt adempta membra homini restituere, & si hoc faciunt, faciunt per præstigia. Sennertus to.3.lib.6.p.9.cap.5. concl.5. Vndè si dæmones læserint maiorem partem pulmonis, vel alterius membri principalis, illa læsio est incurabilis. 8. Neque possunt producere formas substantiales non præmissis alterationibus, & dispositionibus,

nec

nec eas in instanti, vel quantumlibet paruo tempore producere, nec quamlibet rem naturalem immediatè in aliam etiam cum causis naturalibus transmutare. 9. Neque in assumpto corpore, & ex alio homine desumpto semine animalia perfecta verè gignere possunt: tum quia extra vas manens vis illa genitalis euanescit; tum quia nulla est experientia in contrarium, cui non possit responderi: vel enim potest verè magus à dæmone translatus, & præstigiosè transformatus muliere abuti; vel in partu substitui aliundè puer; vel ipse dæmon vt maritum egit, ita & prolis potest vicem gerere. Vlricus c.10. Illa autem miraculosa efformatio cuiusdam pueri Belgæ orti ex femore viri, cuius meminit Lorh tract. 15. ar.1. Si est vera, refundenda est in Deum. 10. Nec est necesse productiones monstrorum attribui dæmonibus: possunt enim huiusmodi monstra ex nefario hominum & ferarum coïtu gigni: Sic peperit bello Marsico Aloippe elephantem teste Alexandro ab Alex. lib.2. Sic 1288. apud Heluetios alia peperit Leonem, vt ait Stumphus in chronicis. Sic.1471. quædam Papiæ cattam, Brixiæ alia canem. Sic alia duos simios, vt narrat Cattaneda in annalibus Lusitaniæ, &c. de quibus benè tractat Licetus. 11. Nec est in Angelorum potestate animalia perfecta secundùm ipsorum virtutem & magnitudinem illicò generandi; nec operandi ea, ad quæ vis agentium naturalium nullo modo se extendit. 12. Nec valent sexum fæmineum mutare verè & realiter in virilem, sed secundùm apparentiam tantum; quia nempè à parte rei erat vir, sed latebat virilia quæ erumpente natura postea apparent. 13. Neque possunt impedire, ne agens naturale habens omnia requisita ad agendum operetur. 14. Nec immutare ordinem, qui est inter formas ac dispositiones rerum naturalium. Hinc fit, vt nequeant mortuos ad vitam reuocare. Nam ex inferno nulla anima egredi potest citra miraculum: & supra animas bonorum, qui sunt in Purgatorio, dæmones nullam habent potestatem; ac proinde quando videtur apparere anima alicuius damnati, multoties est ipse dæmon, vt viuentes ducat in errorem. Quod autem legitur 1.Regum 28. intelligitur, quòd non Samuelis anima, sed phantasma apparuerit per incantationem Pythonissæ, vt contendit noster Mersennus in cap.1. ver.1. Gen. c.25. Etiamsi quoque dici possit, verè Samuelem apparuisse Sauli, non incantatione, sed solius Dei iussu. 15.

Nec

Nec possunt suis incantationibus impedire iustitiam humanam, vt eripere captiuos magos è manibus iudicum, quia vis naturalis dæmonis non est supra potestatem diuinam, humano iudici collatam. Exodi 22. *Non patieris te viuere maleficos.* Nec molestare possunt iustos Indices, nec publicos iustitiæ ministros, nec exorcistas, nec eos, qui muniunt se aqua, sale, cereis, palmis benedictis, &c. nec eos, qui speciali S.S. Angelorum beneficio vallantur. 16. Nec dæmonibus est concedendum datam fuisse potestatem à Deo, quâ diuinitùs Sacramenta confecerint, quòd si aliquando hoc præstiterunt, dicendum est ex sua malitia Sacramenti ministerium attentasse. Lugus lib. 1. de Sacr. cap. 2. q. 1.

PARS I.

De magis & magicis affectionibus.

CAPVT I.

De existentia magicarum affectionum.

TIDE constat homines à dæmonibus obsideri, & morbis pluribus ab iisdem causatis intra corpus angi. Patet 1. ex dæmonum existentia naturaque iam suprà probata in præludio cap. 2. 2. ex variis Scripturæ locis. Nam Matth. 8. 12. 17. Lucæ 4. 8. Marci 15. 16. plures dæmoniaci numerantur, qui à Christo, & ab Apostolis liberati fuerunt. 3. ex Concilio Antiocheno can. 10. 4. ex historiis sanctorum passim. 5. experientia sensuum continua. 6. ex Rituali & sacerdotali Rom. vbi traduntur ritus exorcizandi energumenos. 7. ex maximo SS. PP. Theologorum, Iurisperitorum, & Medicorum in hoc puncto consensu, quos citat & sequitur Gaspar Brau. p. 6. consult. 17. §. 4.

CAPVT

CAPVT II.

De Magia, maleficio, incantatione, fascinatione & scopelismo.

Magia duplex eſt, naturalis, vis nimirum quædam operandi mira per cauſas naturales, ſine dæmonis ope; & hæc per ſe mala non eſt: & ſuperſtitioſa: vis nimirum quædam operandi mira & inſolita per ſigna ope dæmonis. Primus auctor huius peſſimæ artis fuit Zoroaſtres.

Vtitur aliquot fundamentis, quæ tamen vana ſunt, vt etiam vana conſtat eſſe, quæ de aſtronomicis imaginibus affirmant.

Eius effectus naturales non ſunt, vt ex ipſius cauſis, operationis, effectúſue conditionibus dignoſci poteſt.

Magia ſuperſtitioſa ex ſuo genere eſt lethale peccatum, ob commercium cum dæmone, nec excuſat leuitas materiæ, ſed bona fides, & inaduertentia tacitæ inuocationis, ſæpè enim occulta eſt.

Finis magiæ duplex eſt. 1. ſolùm in oſtentationem, ſeu commodum proprium, ſeu aliorum & ſic nuncupatur magia. 2. ad noxam alteri inferendam ex pacto tacito, vel expreſſo, & cooperatione dæmonis, & ſic dicitur maleficium.

Quòd ſi ſolis verbis aliquid per magiam fiat, quod ſupra naturam videatur, vocatur incantatio. Dixi, *quod ſuprà naturam videatur*, quia effectus magiæ licèt homini ſuprà naturam videantur, tamen abſolutè non excedunt vires naturæ; cùm nec etiam dæmon miracula facere valeat, ſed ſolùm mira, quæ rudibus, qui naturalium rerum cognitionem non habent, ordinem naturæ excedere videntur. Solus enim Deus vera miracula facit: Et ſancti quando patrant; diuina virtute præſtant, cui inſtrumentaliter ancillantur.

Interdum incantatio fit per verba ſacra, quibus ſuperſtitioſa quædam admiſcentur, ſuper infirmos & ſanos, vel ſuper arma & tela: interdum fit per verba ſiue carmina profana, quæ expreſſum, vel tacitum pactum dæmonis inuoluunt.

Quædam ex his verbis dicuntur ab incantatoribus bona, vtpote quæ ad infirmitates sanandas adhibentur; quædam mala, vtpote quæ nocere iumentis seu hominibus student.

Sacris tamen verbis vti licet in colligendis herbis medicinalibus modò in Deo & non in nudis verbis seu vocibus spes collocetur, alioquin illicitum est.

Quod si solo aspectu aliquid per magiam supra naturam fiat, appellatur Fascinatio; quæ ex Sennerto tr.3.lib.6.p.9.c.1.triplex est. 1. Poëtica seu vulgaris, quâ scilicèt fascinari dicuntur infantes & res aliæ solo actiuo fascinantis aspectu, vt cùm quis alium laudat, vel aspicit maliciosè, à quo auerso est animo. Sed nulla huius est vis, nec enim ex oculis quidquam emittitur, quod sæui huius damni vehiculum esse possit, cùm visio non per extramissionem, sed per introsusceptionem compleatur. 2. Philosophica, quæ nec etiam huic instituto competit; quia propriè loquendo fascinatio non est, sed infectio seu contagio. Nam ex sententia Auicennæ & Algaselis non ab ipsa visione, qua visio est, vlla fit alteratio in alio, sed fit per venenatam aliquam qualitatem in putridis humoribus residentem, aut in partium discrasia ipsius intuentis: hæc maligna qualitas vicinum aërem suo vitu inficit, & ab aëris vna parte, alia inficitur, & sic ad partem aëris proximam peruenitur inficiendi oculi. Sic mulier menstruata aërem vicinum inficit, & aër maculas in speculo producit. 3. Magica, quæ est actio, qua ab homine pacto cum dæmone inito aliqua noxa fit pueris, vel agris, eo quod ipsemet dæmon inficit aërem proximum donec perueniat ad terminatum spatium

Maleficium in genere duplex est: Amatorium seu philtrum, & veneficum. Philtrum ad libidinem vel odium hominum animos allicit, dæmone obiectiuè tantum eorum voluntatem mouente. 1. commouendo phantasmata & imaginationem, reducendo nempè ad memoriam, quæ possunt allicere concupiscentiam vel concitare irascibilem. 2. faciendo obiectum amandum apparere amabilius. 3. incitando carnem ad inordinatum amorem applicando aromata vel pharmaca. 4. agitando & accendendo humores, qui sunt harum rerum materia, videlicet sanguinem, siue atram, siue flauam bilem. 5. immutando & seducendo sensus externos, extrinsecus obiiciendo sensibus varia sensibilia non vera, sed solùm eorum imagines

imagines & simulacra, sicut S. Antonio ostendit discum argenteum; & petentibus ad tripudia sagarum demonstrat viros nudos & mulieres: vel etiam quædam vera, sicut procurare potest, vt Ecclesiam adeunti obuiam veniat obiectum amatum, siuè aspiciat, siuè audiat aliquod lasciuũ & turpe. 6. exterius suadendo, sicut tentator in deserto Christo apparuit in effigie humana loquens, in paradiso terrestri Adamo & Euæ apparuit in forma serpentis, & aliquibus sanctis in formis iuuencularum. Licèt autem dæmon possit vi suæ naturæ, nisi freuetur & impediatur à Deo, ita perturbare imaginationem, & sensus internos, vt penitus impediat vsum rationis, & libertatis, & ex necessitate inducat ad aliquem actum, qui de suo genere sit peccatum, vt plerumque contingit in arreptitiis; non ideò tamen potest inducere necessitatem peccandi, cùm talis actus tunc solùm materialiter sit peccatum, non autem formaliter; neque possit imputari ad culpam, nisi sit perfectè voluntarius, & liber. Gaspar Brau. p. 6. consult. 17. §. 7. 8.

Solent Philtra hæc sæpè & animo, & corpori valdè nocere, cùm eorum ingredientia sint valdè periculosa.

Saxo Grammaticus lib. 14. hist. Danorum meminit cuiusdam maleficij inhærentiæ, cùm scilicèt vt quis probroso in actu coitus deprehendatur, ita innexus hæret mulieri dæmonis opera, vt separari non possit, nisi maleficio dissoluto. Probabile est in quibusdam herbis, vel lapidibus inesse vim naturalem, quâ amoris, & concupiscentiæ flammam in nobis generatim excitare possint; sicut possunt aliæ affectiones mutari. Attamen nulla est vis naturalis in poculis, vel carminibus amatoriis, quæ philtra dicuntur, ad faciendum, vt quis vnum potius, quàm alterum amore aut odio prosequatur in particulari, sed hoc fit artificio dæmonis; Naturalia enim non agunt ex intentione, sed solùm naturaliter.

Veneficium est, quod infert noxam vel personis, vel ipsarum bonis.

Scopelismus est, qui fit quibusdam lapidibus incantatis, qui ponuntur in agri inimici ingressum, & futuri sunt indicio, malo letho periturum, insidiis illorum, qui lapides posuissent, qui agrum illum deindè coleret. Pineda cap. 5. ver. 23. in Iob.

CAPVT III.

De quibusdam maleficiorum modis notioribus.

PRimum maleficium est ad morbos, qui ex sententia Gasparis Braui p.6. consult.17. diuiduntur in metaphysicos, & physicos. Metaphysici dicuntur, qui à sola potestate dæmonum immediatè proueniunt eo quòd Dæmones subtiles existentes per seipsos facilè corporis partes vniuersas peruadant, easque constringant, diuellant, aut aliter excrucient, viscerum etiam operationes ad vitam sustentandam necessarias inhibeant. Physici dicuntur, qui ab ipsis dæmonibus per causas naturales hominibus inducuntur. Nam dæmon, ex Sennerto to.3. lib.6. p.9. c.5. probè callet omnes sympathiæ vires, & quid hominis cuiusque valetudini noxium, quid commodum & vtile sit. At quâ tandem ratione hi effectus infliguntur? si ab humoribus morbi pendeant, dæmon fascinatoris iussu, internas causas commouet, præsertim melancholiam, & si melancholicos morbos accersit, hinc epilepticorum dispositione gaudet, & illis non raro se insinuat, eorum corpora siue possideat, siue obsideat. Nam in primis totam bilem atram inhærentem corpori congerit, deindè commouet, & eius fuligines, si acres sint, vt sæpè contingit in internorum sensuum cellulas propellit,& epilepticam creat. Paralysis causa est, si crassam lentámque materiam in intimam neruorum substantiam cogat: cæcitatem & surditatem inducit noxia excrementa ad auris & oculi organum coaceruando; sæpè ad odium & amorem, & alia mentis pathemata inducenda mouet imagines. Vt autem velociter sua nocumenta perficiat, spirituosam ex ipso sanguine substantiam deligit, eámque à crassitie materiæ separat & expurgat. Alias ex rebus venenosissimis, velut quintam essentiam educit, vt ex auro chimici, & ex ea spiritus vitales inficit, adeóque potenter & efficaciter operatur, vt omnem naturalem medelam præueniat, & certissimum lethum inducat. Quia & tetro halitu, prædictaque quinta essentia omnes partes corporis inficere potest, vnde phtisis. subuersio ventriculi, vomitus, singultus, impedimen-

tum

tum coctionis, membrorum debilitatio, neruorum attractio, rigor & inflexibilitas corporis, tetanus, sensus strangulationis, anhelitus, palpitatio cordis, syncopes, & conuulsiui motus, concitatio histericæ suffocationis, retentio mensium, vel eorumdem profluuium, abortus, desiccatio lactis, pariendi difficultas, sterilitas & ad tempus & perpetua, impedimentum circa matrimonij copulam & alij morbi præter naturalem modum exoriuntur; sed corporis tamen corruptionem inferre nequit, nisi mediantibus vel natura, vel maleficis.

2. Appellatur maleficium insufflatorium, quod potest fieri naturaliter, vel ex aliquo veneno ore retento vigorosis antidotis prius præseruato agente, vel ex aliqua virulentia ex humorum deprauatione eiaculata, vt plurimum tamen est cum pacto per dæmonem afflante malefico in faciem maleficiandi.

3. Est odoriferum, quod ex venefici odoris applicatione morbos vel mortem infert: sic de medio sublata fuit Regina Nauarræ à quodam, qui illæsus ipse (antidotis fortè repertis à dæmone) chirothecis, globulis, vel pulueribus suauè fragrantibus, aut per flores, per litteras iis inspersas veneni vi mactare alios gloriabatur. Ratò tamen contingere vi naturali legitur apud Delrium lib. 3. pag. mihi 31.

4. Est somniferum, quando aliquem potione, malo carmine, & certis ritibus soporant, vt interea ei venenum infundant, vel infantulos rapiant, aut occidant, aut furto quid subripiant, aut stupro ac adulterio contaminent; & fieri potest naturalibus venenis soporiferis, ait Delrius lib. 3. q. 2. Sed vt plurimum fit pacto inito cùm Dæmone, præcipuè quando dormiens excitari non potest, donec tempus statutum aduenerit; & quando stirpes illæ, ex quibus exsiccatis fiunt pulueres, nullam somnificam vim naturaliter habeant. Simile huic maleficio describit Remigius lib. 2. c. 3.

5. Est maleficium imaginum, quod fit scalpendo imaginem vel ceream, vel plumbeam aliaque materia, nomine illius, quem Magæ maleficio affecturæ sunt, atque acubus, vel spiculis, vel clauis, vel spinis, vel omnem, vel determinatam pungunt partem, vel igne liquant, vel confringunt, prout vel morbum vel mortem inducere student. Hoc adhibebant maleficium malefici ad insidiandam vitam Caroli IX. Regis

Galliæ, & Henrici Ducis Guiliæ, vt afferit Gaspar Brau. p.6. consult.8.§.3. & sic alij Victorium Amedeum Sabaudiæ Ducem necare designabant.

CAPVT IV.

De magicorum morborum maximè obsidionis essentia.

De morborum magicorum seu veneficorum essentia iam aliquid tetigimus cap.2. & 3. Nunc remanet discutiendum quid sit obsidio.

Hominum igitur à dæmonibus obsidio est possessio, qua dæmones quadam potestate cruciandi in hominibus, in quibus sunt, non tanquam in loco, sed quasi in proprio habitaculo, accepta, per seipsos immediatè in eos illam excutioni mandant.

Dicitur, *possessio* loco generis, per hoc enim conuenit cum omnibus aliis possessionibus, quibus dæmones sunt actu in corpore, sicuterant in statuis Idolorum, vel in assumpto corpore, vel in omnibus maleficiatis simpliciter, vel in pluribus sanctis à dæmonibus molestatis, vel in Anabatistis, &c.

Dicitur, *in quibus sunt non tanquam in loco, sed quasi in proprio habitaculo*, tum quia lamiæ & malefici deferuntur à dæmonibus per aërem; & quia tunc agunt in illis, in eis existunt vt in loco, & tamen non appellantur arreptitij; tum quia dum exterius solùm à dæmonibus cruciantur, sicut S.Iob & S. Antonius non dicuntur dæmoniaci.

Dicitur, *per seipsos immediate in eos illam executioni mandant*, Nam si vexent mediatè, vt dum in corpore assumpto, aut per spectum, aut per statuas loquuntur, vel morbos inferunt mediis venenis non constituuntur Energumeni, alioquin omnes possessi, in quibus est dæmon actu in corpore, sicut erat in statuis idolorum, vel in assumpto corpore absque vlla vexatione, & omnes maleficiati simpliciter, & plures sancti à dæmonibus hoc pacto molestati, vocarentur arreptitij.

Quod dæmones ſint intra corpus obſeſſi patet, quia præcipuum organum vocis formatiuum eſt pulmo, reſidens in medio thorace pectoris: ergo quando dæmones illum immediatè mouent, & voces per os dæmoniaci edunt, debent intra terminos quantitatis corporis latitare; & colligitur ex Matth. 13. 15. 17. vbi dicuntur dæmonia homines intraſſe, & ex iiſdem eiecta.

Ex iiſdem locis Matth. ex eo præſertim, quod dicitur dæmonia homines vexaſſe, reddidiſſe mutos, cæcos, ſurdos: atque nunc in aquam, nunc in ignem præcipitaſſe; nunc per agros atque montes agitaſſe. Colligitur dæmonia in obſeſſos poteſtatem aliquam habuiſſe, & per ſeipſos immediatè in eos illam exercuiſſe,

Hinc poſſeſſus per hoc differt ab obſeſſo: quòd poſſeſſus dicitur, cum dæmon ſit actu in corpore, vt erat in ſtatuis idolorum, vel in aſſumpto corpore, & non eſt neceſſaria vexatio, vel ſi eſt aliqua vexatio eſt externa ſiue mediata: obſeſſus verò eſt cùm vexatione & immediata.

Vt aliquis ſit obſeſſus tripliciter contingere poteſt. 1. cùm dæmone tantum. 2. cùm maleficio tantum. 3. cùm vtroque. Tunc dicitur ſimpliciter dæmoniacus, cùm dæmon vexat hominem ſecluſo maleficio, & tunc non ſemper eſſentialiter adeſt, ſed ſolùm adeſt eo tempore, quo maleficus ei præcipit torquere dæmoniacum.

Cùm maleficio tantum, & tunc dicitur ſimpliciter maleficiatus, quando dæmon non eſt intra corpus, ſed ſolùm aſſiſtit extra corpus per aliquod maleficium factum intra corpus vel extra, & illud mouet & applicat modò vni membro, modò alteri ad beneplacitum malefici.

Cùm vtroque ſimul, & tunc dicitur demoniacus ſimul & maleficiatus, & tunc ſine interuallo affligitur plus vel minus ſecundùm diuinam permiſſionem.

Quamuis dæmones in cathecumenos, & nondum baptizatos habeant aliquam poteſtatem, & in vita & in morte, cùm ex Trid. ſeſſ. 5. in præuaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent, facti ſunt immundi natura filij iræ ſerui peccati, atque adeò venerunt in poteſtatem Diaboli & mortis; ipſi tamen verè obſeſſi non ſunt, quia dæmones in eorum corporibus non exſtunt: Exorciſmi autem iuſtè ipſis adhibentur, vt pellatur ab eis poteſtas hoſtilis, quæ decepit hominem, vt poſſideret

homines. S. Augustinus lib.1. de Symb.c.1.

Nec etiam peccatores omnes nuncupantur verè obsessi à dæmonibus, licèt affectum eorum acquisierint, & moraliter penes effectum in corde eorum ingressi sint per suggestionem pessimarum cogitationum.

Nec omnes diuinatores reipsa à dæmonibus sunt obsessi, etsi vtantur opera dæmonum; eorum tamen conditio deterior est, quàm obsessorum; pati enim malum à dæmonibus malum non est: ingens verò malum est dæmonum in qualibet etiam re, ope, auxilio, seu consilio vti. Hinc iustè de illis, non his supplicia sumuntur, ex iis tamen aliqui obsessi inueniuntur, vt patet in illa puella, de qua fit mentio Actorum 16.

Nec omnes hæretici sunt obsessi, licèt magnam communionem habeant cùm dæmonibus. At quidam Anabatistæ obsidentur. Imo S.Franciscus Salesius affirmabat eos maximè hæreticos, qui docent & prædicant à Diabolo vel possessos, vel obsessos esse, teste eius Nepote in eius vita lib.2. fol. mihi 67. Differunt tamen ab aliis obsessis, eo quòd cruciatibus sunt prorsus immunes, & dæmon in ipsis solùm voces & sonos format de peregrino idiomate, & altissimis mysteriis anteà non notis.

Nec omnes sagæ à dæmonibus obsidentur; etiamsi earum conditio deterior sit, quàm obsessorum, ob pactum initum cùm dæmone, & eius societatem; ex iis tamen aliquæ fœderatæ cùm dæmone inferioris ordinis sunt obsessæ à dæmone superioris ordinis, cùm quo maga earum inimica fœderata est.

Dæmonis potestas præcipuè est in corpus, eique præscripta est certa meta; aliàs dæmon ex seipso ob ingens odium erga hominem, quòd oritur, secundùm Berullum cap.2. & 3. ex odio Dei, & ex inuidentia felicitatis & salutis hominum, illos occideret. In animam autem minus habet potestatis, & quamuis possit multifariè eam ad malum inducere, non tamen potest cogere voluntatem, vt stabilitum est cap.2. Certè non in ipsius substantiam, aut potentias, alioquin illaberetur in illas, quod est proprium solius Dei. Nec habitus ab eis tollere potest eadem ratione, sed potest retardare in exercitio virtutum.

Antequam dæmon ingrediatur, apparet 1. in quadam horribili forma hominis suspensi, seu mala morte extincti, vel alicuius

alicuius bruti, qui licèt ei euanescere videatur, in eius tamen corpus ingreditur noctu vt plurimum ac in locis opacis, & obscuris. 2. excitat tumultum. 3. affert molestiam. 4. mirabiles in somno visiones. At aliquando nullo signo se prodit, vt obseruat S. Gregorius lib. 1. dial. c. 4. in moniali illa, quam sub Lactuca latens dæmon ingressus est, quem illa sub lactuca latitare, aut quod se ingredi tentaret, nullo modo potuit animaduertere.

Potest dæmon sub forma aranei, aut muscæ, aut formicæ hominibus latere, paruitas enim corporis non impedit assumptionem, aut quælibet figura. Et de facto plerumque ita successit, dum animalia hæc in obsessorum ore visa sunt, vt ait Fortunatus in vita S. Germani cap. 27. & 52.

Dæmon ingreditur & egreditur quandoque per os, quandoque per alios meatus ordinariè loquendo, hoc tamen non est necesse, potest enim etiam penetrare ipsa corpora, & ingredi & egredi per quamlibet corporis partem, vtpotè incorporeus.

Est autem totus in toto, & totus in qualibet parte corporis obsessi. Potest totum corpus occupare, vel aliquod membrum, vel minimam indeterminatam ac proindè vix perceptibilem partem, frequentius tamen in, vel iuxta cor residet, ad imitationem Dei, Prouer. 23. vel nautæ, qui in ea se parte nauis collocat, vbi nauis commodissimè impelli potest. Solet etiam residere in aliis locis, & loca mutare, sed tamen non circumscribitur his locis sicut corpora.

Ex omnibus nouem ordinibus dæmones humana corpora ingrediuntur, & quandoque vnus, quandoque plures obsident idem corpus; Item ex eo vnus egredi potest, aliis remanentibus, vt plurimum tamen vno egresso, etiam cæteri exeunt.

Omnes dæmones torquent, qui in homine sunt, & plus plures torquent, & quandoque eadem mala afferunt, quandoque singuli propria habent, quæ infligunt; verisimile quoque sua singulis esse in homine loca, & in hac societate vnum esse reliquorum caput, sicut in Republica, vel Regno.

Dæmones etsi maneant in Energumenis, non per hoc fugiunt suas pœnas, sed suum secum semper infernalis ignis circumferunt cruciatum; voluptatem tamen quamdam hauriunt inde, quod hominibus incómodent, ipsis obsint, ipsos vexent.

Dæmones interdum ad certum tempus discedere non possunt Dei prouidentia, non defectu potestatis exorcistæ. Interdum cessant molestare ad tempus, sic Saül Rex 1. Regum. 16. aliquando leuius habuit, & fuit refocillatus. Idque fit Dei misericordia, & hominum imbecillitate, quæ continuos cruciatus sustinere nequit, alioquin eorum vita abbreuiaretur, nec possent amplius dæmones illos molestare. Interdum ad tempus egrediuntur ab obsessis, vt successit die obitus lutheri, quo, teste Brandenbach collat. lib. 7. cap. 39. dæmones omnes, qui torquebant obsessos, mandato Principis sui ad noui Prophetæ & fidelis cooperarij funus euocati fuerunt, eidemque interfuerunt, vt postera die in eosdem reingressi, hoc idem confessi sunt. Heu feralis tum pompa funebrium tædarum, quas singuli dæmones detulerint in funere celebrando.

Sex præcipuè mala dæmones inferunt obsessis. 1. internos cruciatus. 2. priuationem sensuum Lucæ enim 11. dicitur dæmonium surdum & mutum. 3. transformationem formæ naturalis. Lucæ 13. 4. corruptionem imaginationis. Marci 5. 5. summas animi angustias inducentes ad desperationem. Marci 9. 6. mortem corporis.

Quinque peculiariter modis molestant. 1. sensuum & phantasiæ fascinatione v. g. interdiu obsessis videtur conspicere hostes contra sese armatos mala parantes, cruentas bestias, putant se in bestias transmutatos. 2. virium infirmatione. 3. ablatione vel hebetatione organorum. 4. contractione, & distractione membrorum. 5. depulsione, & impulsione corporum. Marci 9. Sed non omnia ista mala simul & semel reperiuntur in quolibet energumeno, sed aliquando omnia, aliquando solum aliqua ex illis. Dæmon enim quandoque interdicit vsum oculorum, vel alterius sensus, & non aliorum, v. g. obsessus, quem, teste Fortunato, liberauit S. Germanus, non patiebatur aliam molestiam, nisi quod eius corpus non poterat moueri, quando ad Ecclesiam ire volebat. In aliquo morbus habet interualla, in aliis est continuus: in vno est in excellenti, in aliis in summo, in vno Dæmon habet solum potestatem in alteratione corporis, in aliis in vita, vt ait S. Cyprianus ser. de lapsis.

Hæc autem mala durant etiam mortua Maga, licet non tam intensa; & facilius curantur, nam Maga non amplius renouat

nouat maleficia, & non concitat amplius dæmones ad insidiandum vitæ obsessorum.

Deus, Diabolus, viri sancti, & malefici possunt dæmones hominibus immittere, sed diuersimode. Deus immittit, quia dæmones sunt ei subiecti, contremiscunt, & pauent ad nutum eius. Iob. 26. Diabolus superior immittit inferiores, oportet enim superioris imperia inferiores excipere, & mandatis parere, si regnum suum tueri, propagare, & conseruare volunt contra genus humanum. Quod attinet ad viros sanctos, licet olim, quando aliæ rationes deerant rebelles coërcendi, & in officio continendi, admitti facilius potuit hæc potestas dæmones hominibus immittendi, vt fecit S. Paulus 1. Timot. 1. Corinthio. & alio loco Hymenæo & Alexandro, nunc tamen quando commodiores rationes suppetunt, vtilius intermittitur.

Sine Dei speciali instinctu non licet appetere arripi à dæmone, quia ad hoc regulariter consequuntur plura delicta, vt blasphemiæ, conuitia &c. quæ attribuuntur arrepititiis, si non careant vsu rationis. Exempla sunt apud Sulpitium 1. dial. c. 14.

CAPVT V.

De magicorum morborum Differentiis.

MOrborum differentiæ duplices sunt, essentiales seu propriæ, quæ ab ipsa morbi essentia sumuntur, ac ita vni speciei competunt, vt alteri communes esse non possint: & accidentales, quæ ab his, quæ morbi essentiam consequuntur, aliisque circunstantiis petuntur; Cum autem alia constitutio sit partium similarium, quatenùs tales, alia organicarum, & communis vtrique vnitas; recessus ab ista naturali cuiusque constitutione morborum genera suppeditat.

Partium similarium morbi sunt intemperies vel simplex, vel composita. Simplex cum vna, composita cum binæ qualitates excedunt.

Ad quorum genus reducuntur etiam occultarum qualitatum affectiones, siue à tota substantia, vt alij dicunt.

Organico

Organicarum partium morbi, qui etiam dicuntur in compositione, fiunt cum partium naturalis constitutio vitiatur vel earum numerus adaugetur, vel imminuitur, vel eædem in magnitudine crescunt, vel deficiunt, vel earum conformatio non proportionalis sit, vt cum figuram decentem non seruant, & earum vel cauitas, vel soliditas, vel superficies, vel leuitas, vel asperitas non seruatur, vel proportionatum locum non occupant.

Solutæ vnitatis morbi sunt vulnus, vlcus, punctura, contusio, ruptio, fractura, ossis caries, & apostemata, quæ licet ad morbos magnitudinis reduci possint; nihilominus ad hoc genus spectant, cum per hanc affectionem membranæ à membranis, & musculi à musculis seiungantur.

Quod si morbi isti dantur, cum ex naturæ defectu à causis naturalibus fiant, facilius quidem est iudicare maleficos morbos admitti secundum varios modos, cum habeant originem mediatè à spirituali causa supra naturæ ordinem varia callente. Vairus lib. 3. cap. 11. D. Th. 1. p. q. 111. art. 4. ad 2. & 3. qui addit potentiam dæmonis non solum esse causam trium morborum generum prædictorum, sed aliorum mirorum, & multiplicium arti medicæ ignotorum, ita vt medici sæpè in iudicando decipiantur, ac mederi nesciant, quos 3. & 4. cap. enumerauimus.

Verum quia morbi vel sunt acuti, vel magni, vel parui, & ordinarij, vel chronici: ideo ex factis quoque obseruationibus, & historiis magicos morbos vniuscuiusque horum naturam sapere clarè patet. Nam provt citò terminantur, magnasque molestias habent cum vitæ periculo nuncupantur peracuti; vel acuti ratione termini.

CAPVT VI.

De magicorum morborum causis.

SAnxit Hip. 2. de nat. hum. naturalium morborum causas duas esse procatarcticam vnam siue externam, vel prægressam, & internam alteram. Lubet igitur magicorum morborum easdem assignare.

Externa

Externa vel eſt efficiens permiſſiua,& hæc eſt Dei voluntas ſemper ad bonum, cum per miſericordiam indulget, & per iuſtitiam plectit. Vel eſt efficiens poſitiua mediata, & hæc eſt Dæmon, qui vt cauſa externa dupliciter operari poteſt: 1. enim excitatis relictiſque morbis, vt puta commota aliqua diſcraſia, vel fluida aliqua materia coaceruata, & poſtmodum largiſſimè euacuata, aut ſoluta aliqua vnitate, aut luxatis partibus, ab initio ſolum præſens torquet, ac poteſtatiue poteſt ingrediendo & egrediendo renouare ſemper morbos. 2. verò poſt vſum venenorum phyſicorum ſimplicium, aut compoſitorum, herbarumve venenatarum, vt cicutæ, ſalmandriæ, aconiti, pintuocarpi, bobuſtri, mandragoræ, cantaridis, & aliorum, de quibus fit mentio l. 3. §.adiectio ff. ad l. Corneliam de ſicariis & veneficis, & lib.24. nat. hiſt. Plinij cap.17. (quæ aut in vnguentum, aut in quintam eſſentiam redacta applicat, vt citius quas libuerit malas inducat affectiones) initio ſolum præſens dum præfata venena adhibet aut intromittit, morbos ſtruit.

Efficiens interna proxima & immediata eſt dæmon quoque, vt dum exiſtentialiter agit virtute propria vel ſimplicem, vel humoralem temperiem variando, humores mouendo, augendo, transferendo ad alia membra, vel è loco ad locum, vel partes obſtruendo, vitiando, luxando, vel continuum diſſoluendo, prout inuenit patientem magis diſpoſitum; Nam etſi ipſe abſque tali diſpoſitione vi propria poſſit quamplura operari; tamen, vt faciliùs ſortiatur effectum, & vt effectus videatur naturalis, vt medicos, alioſque decipiat, talem diſpoſitionem exigit.

Venena immiſſa ab ipſo dæmone ad nocendum in humana corpora, quando vult mediis naturalibus vti, ad internam etiam cauſam reuocari poſſunt.

Maleficus ad externam efficientem remotam ab aliquibus reducitur; ſed reuera per ſeipſum non agit, ſed dæmon ad præſentiam quorumdam ſignorum; quæ quia in maleficio ferè adhibentur, ideò etiam ipſa maleficia nuncupantur. Nec naturali vi maleficus includit dæmones in annulis, ſpeculis, vel vaſculis, equis, hominibus; Neque è corporibus obſeſſis expellit, ſed vel imperio aliorum dæmonum ſuperiorum, vel ipſi dæmones ſponte ſeipſos includunt, & alligant, aut è corporibus ſe expellunt, pacto tacito vel expreſſo cum ipſis

inito,

inito, vt id præstent, cum fuerint inuocati à maleficis, seruitutem autem simulant, vel quia illos odio habent, vel vt illos lucrentur, noster Ranguolus in lib. 1. Regum cap. 18. vers. 15.

Addunt alij causæ externæ huiusmodi signa, vt sunt fila, ossa, vitrum, acus, spiculæ, claui, carbones, sulphur, capilli, vngues, stercora, spinæ, saxa, cultri, ligna, frustulā caligarum, vel vestium, secundina infantium nefandè baptizata, legumina omnia, fructusque sicci, semina quarumdam plantarum, frumentum, millium, gallæ, & sæpè iuglandum, nucum cortices, stipites, vel frustula, vel harum arborum frondes aut radices, tum particulæ mortuorum, præsertim repentina morte, vel laqueis suspensorum, aut obtruncatorum: nec non auium rapacium, vel ferarum; ceu felium, hircorum, veruecum, serpentum, scorpionum, scarabeorum, araneorum, vespertilionum, lacertarum bicaudatarum, ranarum, hirundinum ossa, corda, & hepata, ac intestina, tum radices quædam vulgo concordia, & discordia, funium suspensorum particulæ, plumæ ad formam pilæ cordis, cylindri, vel quodam alio artificio ingeniosissimè consertæ & ligatæ ex parte pennarum, & cortices fabarum quadam pinguedine intinctæ, & quoddam hepar forma piramidali reductum quadam nigra penna transfixum, characteres quidam certis influxibus astrorum delineati, imagines vel cereæ, vel plumbeæ, vel ligneæ, vel ex panno, lignoque nucis, aut materia alia, nunc simplices, modo clauis, terebello, spiculis, acubus, spinis transfixæ, nunc sine brachio, vel manu, digito, pede, auribus, oculo, naso, &c. prout cogitat nocumentum inferre maleficus. Potiùs tamen dæmon suadet abuti rebus sacris, quam aliis. 1. vt eius peccatum grauius faciat; sic enim non solum est maleficus, sed etiam sacrilegus. 2. vt facilius decipiat, dum hoc modo facilius persuadet huiusmodi mira non fieri à dæmone, sed à Deo. 3. ad contemnendam fidem, credens tunc maiorem honorem dæmoni inferre, ad hoc vt effectus faciliùs perficiatur. Quæ & similia etsi videantur connumerari inter causas externas, si ponantur extra corpus, & internas si applicentur intra corpus, cum in tantum magicis morbis obsessi afficiantur, in quantum instrumentum maleficis persistit. Nihilominùs eæ res, in naturaliter nihil iuuent ad maleficium, vel morbos magicos

gicos inferendos, dicuntur solum esse signa, & pacta facta, ad quorum præsentiam ipsemet dæmon per se accurrit & facit res mirabiles & miserandas, quæ apparent.

Omitto subdiuisionem internæ causæ in antecedentem & coniunctam, cùm satis liqueat ex iam dictis dæmonem vtramque munere fungi. Cum enim turgentiam naturalium humorum excitat, antecedentis causæ vices gerit; cum partibus humores impingit, vel ipse immediatè id præstat per propriam virtutem, coniunctæ causæ præstat officium.

CAPVT VII.

De maleficis.

HVIusmodi nefariæ fæminæ ex Sennerto to.3. lib.6.p.9. cap.2. dicuntur *malefica* ob nocendi animum; *venefica*, ex eo quod venena vel nocentes herbas ad maleficium præparent; *Maga* quia cùm non possint omnia, quæ vellent intellectu consequi, edocentur à dæmone; *Saga* à sagiendo, id est, multa sciendo, nam se multa scire, & facere profitentur; *Lamia* quia sicut lamiæ ethnicorum possunt homini, brutis, segetibus nocere, vel superstitiosè curare infirmitates sub variis figuris animalium, & *striges* ab aue eiusdem nominis quæ credita fuit noctu infantes sine custodia relictos, è cunis rapere.

Quàm malè sibi consulant maleficæ, aduertit Ranguolius in lib.1. Regum cap.28. v.10. q.127. Nam. 1. certis diebus præsertim feria quinta in desertis noctu conueniunt ex pluribus & diuersis oppidis & Prouinciis vtriusque sexus homines, & ibi tripudiant, iocantur, epulantur splendidè, incubum, succubumue alterna venere patiuntur, per inuia eò ducuntur, inebriantur, fatigantur, dæmonum obsequiis initiantur, cum quibus loquuntur, quibusque præstant censum, ineuntque pactum expressum, vel tacitum, expressum possunt facere cum solemnitate, & sine illa. Cum solemnitate faciunt cum dæmon in visibili effigie summi monarchæ apparet sedens in solio & multitudine suorum stipatus, coram quibus vtrinque fiunt promissiones: homo promittit dæmoni fidelitatem, & illius

illius mandata se per omnia seruaturum vouet, tangendo oi manum cum manu eius sinistra post tergum versa, abnegat fidem, Sacramenta, B. V. M. Deum, conculcat crucem, spondet perniciem humani generis, & nunquam se integram confessionem Sacramentalem facturum: dæmon contra promittit futura & occulta reuelaturum, & se votis eius per omnia satisfacturum in hac, & in alia vita. Absque solemnitate fit duobus modis. 1. cum solus cum solo dæmone pactum init. 2. cum non audens coram dæmone comparere idem promittit per alium maleficum. Pactum verò tacitum adhuc duplex. 1. quando quis sciens ac volens superstitiosis vtitur signis, quæ didicit vel sermone, vel lectione librorum, quibus Magi vti solent. 2. quando quis vtitur signis superstitiosis, sed nescit esse superstitiosa.

2. Noctu ambulant maleficæ per longa locorum interualla spatio breui temporis, & intrant cellas alienas clausas aperiente fenestras vel ostia, & coadiuuante dæmone; quas sic intromissas docet, quæ sint peragenda. & ne lux lucernæ aut candelæ eas prodat maleficiando, ipse dæmon in assumpta forma felis, eam statim extinguit, ductisque ad lectum, discooperit pannos, imponit iuxta tempora, nares, collum, mandragoram, opium, iusquiamum, solanum, vel alia somnifera ad inducendum somnum: quibus sic somno consepultis maleficæ duobus modis applicant maleficia scilicet in corpore, & extra corpus. In corpore etiam dupliciter. 1. cum vnctionibus, pulueribus, cæterisque miscellis maleficiis & venenis inungunt modo vnam, modo aliam partem corporis, & est tanta vis illius vnctionis, vt paulatim durante calore ipsius dormientis ingrediatur intus carnes, & permeet ad penetralia cordis ac viscerum. 2. sua illa venena in puluerem sæpè redacta vino vel ferculis immiscent, sicque præbent mala fercula, & pestiferos potus ignaris. Extra corpus, quando nempe in limine ostij, vel sub culcitris, seu lectuli puluinatibus, ceruicalibus, aliisque obstrusis locis, ac etiam in chlamide, aliisque vestimentis reconduntur; ex quorum tactu in hominum aut brutorum corporibus omnia genera morborum contendit dæmon inferre. Si igitur remedia non adhibeantur, obsessi vires paulatim fatiscunt, donec deueniant ad extremum vitæ: quandoque verò velocius occidunt; quando voluat inducere mortem absque remedio adhibent venena atrociora

atrociora, vel obruunt, vel strangulant, vel suffocant nedum pueros, sed etiam viros.

3. Inuisibiles fiunt quadrupliciter. 1. efficiendo, vt subitò transferantur aliò non aduertentibus circumstantibus. 2. interponendo aliquod corpus ad instar veli. 3. interponendo aliam figuram, vt non cognoscantur. 4. impediendo spiritus visorios, ne concurrant ad visionem earum.

4. In figuras lupi, vrsi, seu aliorum animalium se vertere videntur, quod potest fieri 4. modis. 1. per præstigium, quod tamen locum non habet, quando reuera inuadunt homines, & etiam intra oppida illos strangulant. 2. obsesso vero lupo, quem pro voto in damna hominum impellit, & è manibus insequentium eripit; vel vsu naturalis virtutis lupinæ, vel eum mouendo localiter, aut occultando, & reddendo inuisibilem. 3. assumendo corpus in figura lupi, & ista perficiendo. 4. ostendendo hominem vel aliud animal in figura lupi, per quem ista præstet.

5. Dicitur quoque anima maleficarum abire corpore semianimi relicto, quæ mox rediens, & corpore inuento cremato, velut vagina amissa, interdum abiisse fertur à Plinio lib. 7. c. 52. quin & sæpè repertæ sunt nudæ in aliena patria. Hoc autem contingere potest dupliciter. 1. si corpus earum aliò feratur (vti fuit factum de Abacuh. Daniel 14. & D. Philippo Act. 8.) relicto tamen consimili corpore, sed ficto, 2. si idem sit corpus earum sic sopitum per alienationem à sensibus, & illorum ligationem, item duobus modis. 1. ligando, cum scilicet obstruit vias, quibus à cerebro spiritus sensitiui ad exteriores sensus diffunduntur: vt euenit somniantibus. 2. soluendo cum scilicet eosdem spiritus ab exterioribus sensibus, ad interni sensus organa attrahit, ibique detinet, ne ad externos sensus descendere valeant: sic enim prohibentur sensus exteriores à proprio exercitio, ita vt corpus viuum immobile, & insensibile, quasi cadauer appareat, aliò interim eius figura per dæmonem asportata; alias enim fieri nequit, vt vi dæmonis anima separetur à corpore, & ad idem regressum habeat.

6. D. Augustinus lib. 18. de ciui. c. 18. ait se audiuisse esse maleficas, quæ dato quodam caseo ab ipsis elaborato homines statim conuerterent in iumenta, quæ necessaria ferrent, & eosdem finito tempore in homines restituerent. Quod de

moribus intelligendum est, vel quod dæmon homines illos sustulerit, & ipse cum aliis dæmonibus varias ferarum formas susceperint, & porrò homines illos restituerint.

7. Maleficæ, quæ ope dæmonis ingrediuntur domus alienas clausas, possunt cælare amuleta, reliquias, rosaria, filum, forbices, &c. in aliquo loco obstruso; surripere capillos, vngues, frustula caligarum, vel vestium, aliaque parui valoris; non tamen surripere possunt pecunias, gemmas, vel alia magni valoris. Imò nec Deus permittit dæmonem posse pecunias transferre ex fundo maris, aut ex thesauro sub nullius dominio & potestate posito; tum quia esset maximum incentiuum ad malum; tum quia, cum omnia obediant pecuniæ, totus ordo gubernationis ciuilis subuerteretur, & dæmon plures haberet subditos & sequaces ob pecuniarum cupiditatem, quam omnes Principes & Reges totius vniuersi. Vndè tales maleficæ ferè omnes pauperes sunt, abiectæ, & viles; & si à dæmone reciperent pecunias, & scirent surreptas esse ab aliquo, tenerentur ad restitutionem; nec possent eas alienare, nisi constaret esse veras; quia cum dæmon non possit furari alienas pecunias, solet repræsentare varias figuras auri, argenti, & ex aëre condensato, vel alia quauis materia cuiuslibet rei figuram effingere, quæ tamen postea euanescunt, seu in carbones conuertuntur.

8. Dolores varios tolerant, quibus à dæmone, dum parciùs nocent, asperè mulctantur donec deueniant ad extremum vitæ, cuius eidem potestatem tribuunt, non raro discrimen capitis adeunt, dum eius iussis impensiùs obsequi student, honoris & amicitiæ iacturam faciunt, nec hactenus vitæ labentis infelicitate contentæ, eamdem cum dæmone sortem æternùm experturas se recipiunt, & quoscumque possunt, student sectæ suæ deprauatione inficere, sicut spoponderunt.

9. Pœnæ maleficarum quamplures enarrantur à Zeccho p.1.c.22. de diuinationibus: nulla tamen censura incurritur, quæ lata sit, nisi adiungatur hæresis, vel apostasia. Farin. de hæresi quæst.181.§.4.

10. Sortilegia, quibus est hæresis suspicio, ad inquisitores pertinent: at si non est hæresis suspicio, sunt mixti fori, & datur præuentio. Clarus §. hæresis n.25.

11. Libros incantationum aut diuinationum tenentes subiiciuntur excommunicationi non reseruatæ impositæ in indice

dice librorum prohibitorum §. 5. n. 32. Vnde huiusmodi libri Ordinariis vel Inquisitoribus sunt tradendi.

12. Maleficæ cognosci possunt 1. ex propria confessione 2. ex aliorum testimonio. 3. ex earum chirographis, aut stigmatibus. 4. ex maleficiis apud eas inuentis 5. ex frequenti dæmonum inuocatione. 6. ex effectu malefico insecuto ad earum comminationem. 7. ex lassitudine in eis relicta post ludos die Veneris, vel Martis. 8. ex tædio se signandi signo S. Crucis. 9. ex rara & nunquam integra confessione. 10. ex irrisione in eleuatione S. Eucharistiæ. 11. si ficus manu fabricent. 12. si aqua lustrali in introitu Ecclesiæ non signentur. 13. si hædinis carnibus non vescantur. 14. si videantur in oculis binæ pupillæ, vel forma buffonis, hirci, equi, anguis, serpentis, lacertæ, felis, cùm liuido signo, quòd fronte, iugulo, dextra vel sinistra mammilla, pectore, humero, genu, renibusque tanquam dæmonis mancipiorum caracterem recipiunt. Vnde inclinant oculos ad terram, ne præfata signa videantur. 15. si percussæ lethaliter, non appareant vulnera, & signa mortis, signum enim est, Dæmonem impedire huiusmodi vulnera, & mortem, vel excipiendo ictus, iuxta corpus earum, & frangendo impetum, vel impediendo sanguinem è venis effluere; vt dicitur de malefica, quæ propè Melunum impunè lupi formam assumens in hominum cæde bachatur, & ab ictibus insequentium à dæmone eripitur, & de aliis, de quibus agit incognitus pag. 126. 218. & seq.

At si quæ ex maleficis fortè alicuius dæmonis pacto auctorata ad nefandas leges teneri se existimaret; sciat omnia hæc pacta sua potestate posse frangi, & ad nihilum adstringi; cùm pacta non sint mutua, sed improportionata, & quod dæmon pollicetur præstare non possit, saltem completè. Veniat ergo ad pænitentiam: Deus námque valdè misericors est.

13. Si veniat: Confessarius inquirere debet. 1. an tali superstitioni sese addixerit, ad sanctitatis nomen conciliandum, quia est sacrilega hypocrisis. 2. an credat mundum & singulas eius partes esse animatas anima rationali, & earum animas esse Deos & Deas, Dæmones esse omnipotentes, & præesse astris & elementis, esse dignos adoratione, posse cogere voluntatem, nec damnatos putet aut miseros, ac proindè eorum sequaces non esse damnandos, aut inesse rebus sacris vim ad maleficia. Nam hæc est hæretica & excommu-

nicata in Bulla Cœnæ. Quod si solùm malitia fuit voluntatis sine vllo errore contra fidem, est crimen grauissimum, non tamen est reseruatum. 3. an Christum & Deum abnegarit renunciando Sacramentis, & sic est Apostasia. 4. an dæmonem colat vt Deum & Dominum, & est idololatria. 5. an proferat blasphemiam in Deum & in sanctos. 6. an admisceat suis maleficiis Sacramentalia & Sacramenta, & est sacrilegium. 7. an fuerit commixtio cùm dæmone, siue cum persona obsessa. 8. an damna proximo intulerit.

Curare postea debet 1. vt pactum expressum, si quòd inierit cum dæmone, aut commercium, abiuret, & dissoluat; pactum autem videtur dissolui peragendo pœnitentiam patrati delicti, non tamen est necesse cogere dæmonem ad restituendum chirographum, cùm iam per pœnitentiam pactum satis dissolutum fuerit. At si apud maleficam chirographum reperiatur, vel eius exemplar, debet illud comburere, sicut etiam libros suos, schedas, ligaturas, aliaque instrumenta malefica, tum ad detestationem criminis, tum ad euitandum scandalum, cuius esset causa, si talia apud ipsam inuenirentur. 2. vt damna ex maleficio illata resarciat: ad quod proinde etiam adstringitur Fiscus, quando maleficæ bona confiscantur, sicut & hæredes, si ad eos bona deueniant. Imò si malefica maleficio clericum occidat, est irregularis & excommunicata *cap. si quis*. 3. Studeat eam exhortari ad contritionem, & præcipuè ad sperandum de diuina misericordia.

CAPVT VIII.

Qui coniecturandi sint esse magis dispositi ad recipienda maleficia.

DEus ordinariè permittit dæmoni maiorem potestatem in malos, quàm in bonos, quia illi meruerunt peccatis suis subiici dæmoni, à quo enim quis superatus est, huius & seruus est 2. *Petri* 2. Quare mali magis dispositi sunt ad morbos veneficos recipiendos, ab illis enim Deus ob peccata mortalia longinquior

longiquior est, & non prohibens. Peccata autem, propter quæ Deus permittit nos à dæmonibus & maleficiis affligi, & si interdum sit solùm culpa originalis, vt narrat Beda in historia Anglorum; interdum sint peccata actualia leuia, vt obseruat Sulpitius Seuerus 1. dial. c. 14. corporaliter traditos sathanæ & viros sanctos pro leuissimis delictis, & allegat exemplum sancti viri sui seculi obsessi à spiritu maligno, & furioso ob motum vanitatis, quem sentit, & non præbuit consensum, & Cassianus coll. 7. c. 27. ait ob aliquam impatientiam Abbatem Moysem vexatum fuisse à Dæmone quæ consideratio dedit occasionem D. Augustino lib. 19. de ciui. c. 4. asserendi: *quid dicam de his, qui dæmonum patiuntur incursus? quis confidit hoc malum euenire non posse sapienti in hac vita?* Imò interdum iste morbus accidit absque aliqua occasione peccati apparentis in persona, vt in infantibus Baptizatis. Nihilominus communiter sunt grauia, & ferè sunt sequentia. 1. infidelitas, ex D. Cypriano lib. 4. epist. 17. 2. indigna Sacramentorum sumptio, ex eodem ser. de lapsis. 3. est execratio, quando scilicet quis ex minima subinde occasione seu aduersitate oblata se, aut filios suos, aut alios dæmoni deuouet, tunc enim iusto Dei iudicio euenit malum, quòd imprecatur, cuius rei historias petere licet ex Cæsario lib. 5. c. 11, 12. & 26. 4. odium & inuidentia; ob hanc causam Saul agitatus fuit. 1. Regum c. 16. 5. superbia: hac ratione multi arbitrantur à dæmone fuisse dementatum Regem Nabuchodonosor Daniel c. 4. 6. libido. Hinc 7. mariti Saræ fuerunt occisi ab Asmodæo Tob. 6. illa filia teste Prospero lib. de dimidio temp. cap. 6. fuit obsessa ob aspectum impudicum iaculatum in Veneris imaginem. Et illa Romana, de qua scribit Tertul. lib. de spectaculis c. 26. *Theatrum adiit, & indè cùm dæmonio rediit.* 7. nimia curiositas, quæ cùm maximè vigeat in fæminis, quæ imprudenter appetunt scire, quod scire non conuenit, ideò plures fæminæ maleficæ sunt, quàm viri, vt habetur 26. q. 5.

Deus autem bonos & amicos suos à dæmonibus defendit vel interiùs per gratiam, vel exterius per custodiam Angelorum, & dat vim potius eos conculcandi; & si quid mali permittit, id amoris virtute agit, ad eos exercendos; & ad eis maiora præmia largiendum; vt patet c. 1. 2. Iob 12. Tobiæ, 2. Cor. multaque exempla habes apud Marcum Mau-

lum lib. 5. de religiosè viuendi instit. c. 7. & apud Lanouium præsertim exempla N. P. Io. Allardi an. 1606. & N. P. Petri Moreau an. 1626.

Præcipuè verò experientia teste Dæmones vexant melancolicos, vtpote qui sunt magis dispositi ad huiusmodi maleficas affectiones. 1. quia hic humor melancolicus habet simboleitatem cùm dæmone, cùm difficilè eradicetur, quia sex sui natura præ cæteris superbus, inuincibilis & rebellis redditur medicamentis. 2. quia est aptior ad sæuiora & incurabilia symptomata mouenda. Nam si supra modum exustus, & versetur circa substantiam, & membranas cerebri, furorem procreat; si non adustus melancoliam, quæ occupat potentias principales, & nobiliores, vt mentem, obscurat intellectum, & memoriam, turbat rationem & iudicium. Vndè sic vexatus, à Deo, & sui ipsius cognitione decidit, & ad ea, quæ ad salutem spectant, fit piger, & immemor. 3. quia hic humor dæmonis naturæ sedes congrua est ob suam amaritudinem, tristitiam, obscuritatem, & turbulentiam. 4. quia in dictis naturalibus symptomatibus dæmon sæpe se occultare solet. Idque quia in dictis morbis solent concurrere signa, & accidentia similia, quæ & ipse dæmon facere solet, & sic exorcista solet dubitare, an morbus sit magicus, vel naturalis, & fallitur; Vndè Dæmon plerumque non cognita ab exorcista eius astutia, impunè perseuerat.

Pueri sunt maleficiis subditi. Si autem sint Baptizati beati moriuntur; si non Baptizati, grauius sic offenditur ab illis maleficis Deus, & Dæmoni magis arridetur.

Cur verò maleficæ pueros petunt?

Quia pueri simplices, imbecilliores ad resistendum extant, incautiores ad cauendum, impotentes earum conatum deprehendendi, reuelandi, aut accusandi. Tum quia ex his infantium partibus conficiunt instrumenta suis transmutationibus & artibus accomodata. Tum etiam vt eorum caro in caldario cocta, & ob ossibus separata sorbilis euadat, ex qua plurima vnguenta pro vnctione maleficorum & maleficiandorum componunt, quæ verò superfuerint, paucis additis cæremoniis, sectæ eorum fit conscius; non vi tamen illius vnguenti, sed interna locutione, & suggestione dæmonis.

CAPVT

CAPVT IX.

De signis magicorum morborum, & obsessorum.

HIpp. 1. de san. t. 1. & lib. de parti. med. 7. docet impossibile esse affectum præter naturam latentem curare, nisi ex euidentibus signis, in eius cognitionem prius deueniamus.

Signum fuit in lib. de fin. med. definitum, quòd est id, quo cognito aliud quod ignotum nobis erat, depræhenditur. Hinc medicina practica dicitur ars coniecturalis, cùm indigeat signis ad occultarum affectionum, seu internorum morborum cognitionem. Propterea maior signorum diligentia in magicis morbis requiritur, cùm speculandum sit de malo tegendo à callido dæmone homini inimico illato. Tum quia morbi histerici, epileptici, apopletici, tetani, aliæque conuulsiones, phreneticæ, maniacæ insanæ, melancolicæ, hippocondriacæ signa communia cùm magicis affectionibus habent.

Esto signa sint multiplicia, vt quædam salubria, insalubria, & neutra, & quædam diagnostica, prognostica, atque commemoratiua, nec non quædam antecedentia, assidentia, ac patognomonica. Omnia tamen signa desumuntur à causis prægressis, à morbo producto, & ab iis, quæ necessario morbum subsequuntur, vt actiones læsæ, excreta, & retenta, qualitatesque mutatæ; Nos hæc tria sectabimur.

Signa maleficiatorum.

A causis igitur prægressis habentur signa morbi magici, vt si talis morbus insequatur ad comminationem suspectæ veneficæ ira obcæcatæ.

Maleficium verò per interius dignosci potest, si quid ab aliquo manducatum, vel potatum sit oblatum, vel donatum, vel paratum ab aliqua; si in edendo aduertisset de aliquo, vel puluere, vel liquore misto, si inter edendum aliquis timor per ossa cucurrisset, vel gustu mali aliquid saporis, vel nimis dulcis, vel stomacosi, aut aliquid aliud obseruatum esset; si

in somnis aliqua velut vmbra obumbrasset, si aliqua horribilis figura hominis mala morte extincti, vel bruti, per os, vel nares visa esset, ceu ingredi, & terrorem inferre: si per intestina, per ventrem, per artus tunc sensisset flatus, vel spiritus, aut sicuti serpentes vagantes doloremque inferentes.

Externè verò & difficilioris coniecturæ à prægressis, vt si super egrediens aliquem locum sensus obtusos, vel citò ceu à fulgore ossa, & neruos diffringi percepisset, vel mæstus fiat, ac paueat.

A morbo producto sumuntur multa signa. 1. si appareant symptomata improportionata & extrema, cùm dæmon aufugiat mediocritatem. 2. si arte medica nec cognosci, nec curari possint, ex interna malitia dæmonis 3. Aliqui suspiria luctuosa cùm tremore, mœrore absque occasione emittunt. 4. alij & si grauissimè doleant, in qua tamen parte doleant, nequeunt referre. 5. alij cibos pessimos appetunt, & super bonis nauseantur. 6. Alij cibos renuunt, appetitusque deiicitur, ventriculumque habent ponderosum, etiam post medicas euacuationes. 7. alij habent os adstrictum, vt deglutire minimè queant. 8. alij sentiunt motus ad instar ranarum, vermium, formicarum aut serpentium ad orificium stomachi. 9. alij per œsophagum rem quandam ascendere, & descendere obseruant, medicis iudicantibus esse flatum crassum. 10. Alij punctionibus in corde molestantur, ita vt laniati affirment. 11. Aliqui habent pulsationem & quasi tremorem circa collum, & aliquando circa frontem, & supercilia; & si non habent hoc signum, ad imperium exorcistæ Dæmon illud facilius exhibebit, quàm alia signa. Nam sicut delinquens repertus in fragranti palpitationem circa cor cælare nequit; ita dæmon repertus ab exorcista in fraganti delicto iniustæ vexationis, illam pulsationem circa collum cælare non potest. 12. alij colli seu renum, tum acerbissimis inferioris ventris torsionibus corripiuntur. 13. Aliqui circa articulos spiritus quosdam sentiunt, & sæpè flatum quemdam vel frigidum, vel igneum per ventrem permeantem & citò redeuntem percipiunt. 14. Alij particulas corporis, vel fractas, vel nexibus ligatas habere videntur. 15. Alij sudoribus fœtidis, & sine tolerantia circa noctem etiam frigidissimam leuiter, & particulariter scaturiunt. 16. Alij habent colorem cinericium seu flauum in tota cute, sed vt plurimum in facie. 17. Alij habent oculorum palpebras & dentes

dentes ita adſtrictos, vt eos vix aperire poſſint. 18. Alij cùm inſtrumenta malefica comburuntur, vel accedit aliqua ſaga, magis vexantur. 19. Alij affliguntur diuerſis morborum generibus inconſtantibus, & rarò periodos ſeruantibus, de quibus dictum eſt cap. 3. & 4.

Signa Dæmoniacorum.

1. ALij ſeipſos pugnis percutiunt, veſtes & capillos lacerant, ſtrident dentibns & ſpumant, ſtridores ad cælum mittunt, canunt, cantu reſpondent, imitantur animalium voces, ſonus, & cantus, atque in cachinnum diſſoluuntur. 2. Alij habent horribiles vultus & oculos. 3. Alij membrorum ſtuporem. 4. Alij ſummam inquietudinem. 5. Alij motum formicarum ſub cute reptantium. 6. Alij palpitationem in illis partibus, quas dæmon petit. 7. Alij vnam vel plures veſſiculas in lingua, quæ ſtatim euaneſcunt. 8. Alij moleſtantur tumefactione gulæ, vel excitatione ſiccæ tuſſiculæ, vel ingenti oris hiatu, vel nimia ſiti, vel linguæ extractione & inflatione. 9. Alij audiunt vocem cuiuſdam intra ſe ipſos perſuadentis ad præcipitium, vel ſuſpendium, vel iugulationem, vel quid ſimile, & non meminerunt quid egerint, vel dixerint, ſignum euidens compulſos fuiſſe ad loquendum non proprios, ſed dæmonis ipſius conceptus. 10. Alij abſtinent à cibo & potu ſeptem vel pluribus diebus. 11. Alij fiunt fatui, ſomnolenti, trepidantes, ſtupidi, cæci, claudi, ſurdi, muti, lunatici, febricitantes, & ferè immobiles, & ſi interrogati vel iracundè reſpondent, vel gratis. 12. alij patiuntur terrores repentinos, vel conturbationes, vel conſtrictionem, vel perforationem cerebri. 13. Alij ſentiunt inflammationem totius corporis, ac præſertim capitis, ac ſi eſſet ignis vapor in ipſis. 14. Alij conſtrictionem gutturis. 15. Alij motum cuiuſdam rei ad inſtar pilæ, ſeu boli, ſeu vermium, formicarum, aut ranarum in ore ſtomachi. 16. Alij cibum ſumptum per vomitum emittunt. 17. Alij torquentur tortura in viſceribus, vel inflatione ventris vel conſtrictione, vulneratione, corroſione & dilaceratione cordis, vel oris ventriculi, vel renum. 18. Alij experiuntur aſcendere & deſcendere bolum in œſophago, & indigeſtionem cibi. 19. Alij opprimuntur ploratu, ſingultu, triſtitia,

stitia, turbulentia, contentionibus, odio, & fuga ab hominum conuersatione absque vlla causa. 20. Alij impediuntur in vena generationis

A dæmonis existentia obsidente, vel causante magicum morbum sunt signa ferè infallibilia, vt cùm arceantur à diuino cultu, ita vt Ecclesiam, aquam lustralem, faciem sacerdotis, vel pij viri, aliaque remedia sacra fugiant & inspicere nequeant, ac album oculorum variis modis mutent, stare loco nesciant, vel graue pondus, vel ignem, vel gelu, vel formicare, aut obdormiscere, sudare, partem persentiant, aut tremant, aut aliquam aliam mutationem percipiant; eosdem ferè effectus causat manus sacerdotis se sola, vel linimenta sacra applicans cordi aut capiti. Hæc & alia possunt efficere signa. Potissima verò sunt quando vtuntur variis linguis, siue aliqua scientia, quas nunquam didicerint, vel vaticinantur de rebus incognitis, longéque factis, vel multis hominum viribus dimoueri loco non possunt.

Quædam ex his signis etiam concurrunt in dæmoniaco maleficiato, & quædam in simpliciter maleficiato. Neque putes pro morbo magico omnia dicta signa esse obseruanda, sed sufficiunt ex enarratis aliqua essentialia, prout species maleficij toti indiuiduo, vel alicui membro noxam affert.

CAPVT X.

De signis recuperatæ sanitatis.

HViusmodi signa sunt 9. 1. dæmon fugiens dat signum supernaturale ab exorcista sibi assignatum. 2. exit per os, nares vel aures ad instar flammæ igneæ, vel venti frigidissimi, vel alicuius bestiæ, Apoc. c. 16. 3. vel exilit statim, vel euanescit gradatim. 4. per intestina circumit in similitudinem pilæ, donec exeat per secessum. 5. euomit non solùm humores melancolicos, sed etiam capillos, ossa, &c. in quibus plerúmque illusio esse potest, vel potuit dæmon ea inferre in stomachum, & in eductione celerrimè diuidere, & iterum reunire. 6. relinquit hominem vti mortuum, Marc. 9. 7. recedit per nares in similitudinem guttæ sanguinis in terram defluentis.

tis. 8. ante discessum violentius & fortius vexatum, sacerdotem, domus, perturbare solet. 9. obsessus functiones omnes naturales exercet, exoneratus tanquam à sarcina relinquitur, ac cùm quadam lætitia petit res sacras ædire, delectaturque precibus, concionibus,aliisque discursibus & historiis. Fateor tamen ex hac signorum traditione non adstrictum esse dæmonem ad non redeundum, sed si non redeat, est quia non vult, aut ex aliqua alia causa eum cogente; securiores tamen nos reddit de suo discessu, & non reditu.

PARS II.

De Prognosi.

CAPVT VNICVM.

De magicarum affectionum præsagio.

MEdicus totam suã prognosim collocare debet in consideratione luctæ inter naturã cum suis facultatibus, & morbum cum suis symptomatibus, vt dum præliantes inspexerit alterum altero vsibus robustiorem maiorer victoriam reportaturum iudicet. Gal. 6. epid. c. 5. t. 2.

Sicut in luctantibus quandoque accidit fallere prognosticum de victoria parta, non tam ob luctatoris robur, quàm pro incogitatæ artis gymnasticæ malitia; ita aliquando euenit in morbis palimpolis, simulantibus vitio, aut augmento abesse robur, cùm postea improuisè colligant se se ad exitium intentandum, vel vtrũque simul fingentes incogitatam victoriam consequuntur. Quæ cùm ritè etiam ab oculatissimo viro obseruari nequeant, cùm omnis homo mendax, iudiciaque Dei imperscrutabilia; idcircò sæpè occurrunt in medica praxi mendacia; Ac proinde multo falsiora & magis irrita prognostica

prognostica fieri possunt in magicis morbis; non solùm quia transcendunt ordinem naturæ, sed etiam quia tripudiat suo modò Pater mendacij in hoc vt aberremus.

Vidi eodem morbo magico duos fratres eodem tempore correptos, quibus adhibita sunt remedia æqualia, absque vitalis virtutis impulsibus, vestigiis, gelidis, liuidisque corporis extremis, spiramine crebro, & assistentibus peritis medicis, vterque iam moriturus iudicatus fuit; cùm deinde appensis super vtrumque sacris amuletis, sanctorum reliquiis, à pio Exorcista lectis exorcismis cum aspersione aquæ benedictæ, in vno virtus occultata apparuit, & cum naturali spiritu calor natiuus reuocatus est, alter verò obiit. Quid prognostici dicas in fortibus apoplecticis magicis paulò post tẽpore veræ sanitatis? cùm soluere apoplexiam fortem impossibile. Quid in febribus nullas periodos seruantibus & malignis.

Energumeni facilius curantur exorcismis, ieiunio, & oratione, exorantibus sanctis illis, quibus datum fuit in vita dæmones eiicere, & qui super cælestes sedes huiusmodi dæmonum molestantium regnant.

Simpliciter dæmoniacus facilius curatur; simpliciter verò maleficiatus difficilius curatur, quàm dæmoniacus simul & maleficiatus, eo quod dæmones, quando adiurantur in simpliciter maleficiato non remanent assistentes circa corpus illius, sed abeunt vt fugiant adiurationem. Propterea in principio adiurationis exorcista debet illis præcipere, ne discedant, sed audiant quamuis inuiti omnia præcepta facienda ex parte Dei & Ecclesiæ.

His etiam propulsantur maligni spiritus; Sed aliquis difficiliùs expelluntur; At qui illi? non superiorum ordinum tantum; non plus vexantes tantum; non quibus data causa homines ingrediendi, non qui diutius in hominibus fuerunt; non qui sunt aquei & terrestres; non qui sunt in subiecto phlegmatico, melancolico, delictisque maculato. Sed lunatici, siuè surdi & muti, non quia rubustiores sunt; sed quia Deo permittente plus possunt.

Dicuntur muti, quia reddunt obsessos mutos; vel quia Deus voluit esse mutos, quia ausi sunt in ipsum inferre blasphemias; & à plerisque censentur esse 8000. legiones.

Maleficia minus sunt noxia, quæ non fiunt intra, sed extra

intestina

inteſtina ſiue applicentur per nudas incantationes, ſiue per ligaturas, ſiue per extrinſecum contactum.

Ea maleficia ſunt ſceleſtiora, ac per difficilioris curationis, ad quæ concurrit ſolemnius pactum, ac potentior dæmon adſtipulatur.

De morbo magico item prognoſticandum eſt, quod quando non manifeſtantur, vel applicatis & ritè adhibitis remediis non ſanantur, ſunt incurabiles, ita permittente Deo. E contra cum diuinis remediis minorari, cædi, manifeſtari videntur, tum malefica inſtrumenta euomi, vel deiici, aut externa inuenta ſunt, & concremata languores, doloreſque ceſſarunt, prognoſticum eſt ſanitatis.

PARS III.

De Therapia, id eſt, curatione magicorum morborum.

INdicatio horum morborum curationis ſumitur ex materia, & idea morbi per contraria, ſi volumus methodo vti 6. met. Quare cùm non ſanemus morbum in communi, ſed vt ait Gal. 2. met. 6. totidem ſunt morborum reddendi rationes, quot ſunt ideæ morborum, ideo ſuppoſita morbi idea, quod conſiſtat in lædendo occultis rebus, quibus & ſi noxa infertur, vel propria vi, vel virtute dæmonis, vel naturalibus applicatis, ſemper tamen nobis incognita exiſtant, oritur indicatio tollendi talem læſionem ex vi occulta remediis; quæ cùm tria aſſignari ſoleànt: ſuperſtitioſa, naturalia, & ſupernaturalia, ſeorſim tribus libris de his agemus, cùm præſertim duabus prioribus futura ſit prolixior 3. hæc pars.

LIBER I.

De remediis superstitiosis cognoscendis & euitandis.

CAPVT I.

De superstitione.

Superstitio, quæ à nimio hominum timore, quo Deos supernè superstantes timebant, dicta est, definitur esse vitium, quòd Religioni opponitur secundùm excessum, in quantum diuinum cultum exhibet, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet.

Duplex est in vniuersum, vna, qua cultus indebitus tribuitur Deo: & hic est duplex: falsus & superfluus.

Falsus, est si quis Deo nunc vellet offerre sacrificia veteris legis, vel reliquias, miracula, historias reuelationes falsas supponat pro veris ad faciendum lucrum, siue ad decipiendum alios; vel sacrificet, vel audiat confessiones, etsi non sit sacerdos; vel forma & materiam sacramentorum mutet, vel diuino officio admisceat turpia, vel aliqua alia obseruanda, tanquam eius partem ab Ecclesia ad Dei cultum præscriptam. Et huiusmodi licèt ex suo genere sint peccata mortalia, committitur enim mendacium perniciosum in cultu diuino cùm notabili irreuerentia erga Deum; sæpè tamen excusantur ignorantia, vel simplicitate.

Superfluus cultus est, qui perficitur cæremoniis, quæ sunt præter consuetudinem communem, vel Ecclesiæ institutionem, nec referuntur ad gloriam Dei, nec ei se subiiciendo, nec ad carnem frænandam: v.g. si quis velit deuotionis gra-

tia

tia plures genuflexiones, vel cruces facere, vel alleluia pluries dicere contra rubricas: vel orat ante solis ortum, tanquam hoc melius sit, aut mauult audire sacrum sacerdotis, qui vocetur Io. vel qui habeat staturam Christi, cum certo numero, situ, ordine cereorum, cum planeta potius albi, quam flaui coloris: aut ieiunat die dominico, cum non ieiunat aliis diebus: Hæc bona intentione facta vt plurimum sunt peccata venialia, nisi contemptus accedat, quia est materia leuis, & actio ex se non mala esset, vt si rem furtiuam offerat, turpia in Ecclesia canat, ore, vel organo, notabiliter profana, vel ad impuritatem prouocante voce vtatur, est culpa ferè lethalis.

Altera, qua cultus Deo debitus, creaturæ tribuitur: & hæc in idololatriam, diuinationem, vanam obseruantiam, ad quam Magia maleficium, & incantatio, de quibus iam tractauimus p. 1. c. 2. vel reducuntur, vel quartam speciem constituunt.

CAPVT II.

De Idololatria.

IDololatria est honor diuinus exhibitus creaturæ repræsentatæ per aliquam effigiem, quæ nuncupatur idolum. In ea tres actus sunt. 1. existimatio diuinitatis. 2. affectus reuerentiæ tanquam supremo numini. 3. externum signum, quo interior opinio & submissio significetur, vt sacrificium, genuflexio, suffitus, capitis inclinatio.

Triplex est. 1. sumitur ex infidelitate, vt cum quis adorat Idolum, quod putat & credit esse Deum. Et hic si non est baptizatus, est paganus & infidelis: si autem sit baptizatus, est verè hæreticus, & subiicitur excommunicationi Bullæ cœnæ; & si nihil ore pronunciet, sed solum signo externo idolum colat, hoc enim satis ostendit internam hæresim. 2. vel ex odio Dei, vel ex affectu voluntario aliquid à dæmone aliave creatura obtinendi, ipsi quasi Deo honorem tribuit, & si mentis infidelitas absit, vt accidit aliquando in sagis, & his, qui vt ethnica potiantur, illius adorant idolum. 3. ex metu mortis sine intellectus errore, & affectu colendi creaturam vt Deum.

Deum. Grauissima harum trium est prima, non ita grauis secunda & minus grauis tertia; secunda, & tertia erunt solum sacrilegium contra Religionem, siue hic cultus sit explicitus, siue implicitus, modò scienter sit volitus, & vtraque habet annexam excommunicationem in Bulla Cœnæ in foro externo; quia hi semper sunt vehementer suspecti de hæresi. Etiamsi in foro interno, si absit hæresis, non subiiciantur excommunicationi.

Eius origo triplex; ignorantia veri Dei, praua hominum dispositio, quoad pronitatem ad cultum idolorum, & deceptio dæmonum, qui cultum vni Deo debitum supremum sibi arrogauerant in Idolis, fallendo homines præstigiis, responsis oraculorum deludendo, & aliqua mira faciendo, vt ait Maignanus Philo. sacra c. 1. p. 1. prop. 6. & 8. Primi auctores huius mali apud homines fuerunt Ismaël, Nembroth, vel Ninus, sap. 14. apud Hæbreos, apud Græcos Prometeus.

Dæmonem in Angelum lucis transfiguratum, bona fide & ignoranter adorans, non peccat.

Eius apparitio 8. modis præcipuè discerni potest 1. si ad præsentiam rerum sacrarum diffugiat, vel hæc sancta improbet. 2. si falsam causam suæ apparitioni prætendat, vt si dicat, se redire imperio alicuius magi, vel vt aliqua manifestet curiosa, vel noxia. 3. si narret aliqua contra Ecclesiam, vel mores. 4. si sua oratione excitet mentem nostram ad superbiam. 5. si blande accedat, porrò relinquat mœrorem, & desolationem. 6. si rem non patitur tractari cum suo superiore, seu confessario. 7. si in effigie terrea, siue abiecta appareat. 8. si post auxilium præstitum, quod petebatur, denuò redeat.

CAPVT III.

De Diuinatione.

Diuinatio dicitur enunciatio inordinata eorum, quæ naturaliter sunt incognoscibilia, vt sunt, quæ à sola diuina vel humana voluntate pendent, vel futura contingentia, aut alia occulta, quæ quidem nec dæmon certò scire potest.

Si res sint tales, quas solus Deus scire potest, inuoluitur tacita

tacita Idololatria, quòd dæmoni deferatur cultus diuinus: secus si sint tales, quas dæmon naturaliter scire potest; est tamen illicita, ob societatem cum Dei iurato hoste.

Duplex est: vna per expressum pactum cum Dæmone, altera per implicitum, de quibus pactis egimus p. 1. c. 7. expressè censetur inuocare, seu inire pactum cum dæmone, qui vel verbis eum inuocat, vel saltem facto aliquid vsurpat, per quod scit, aut credit dæmonem concurrere, & multis modis contingit. 1. per fictas apparentias, & figuras, & vocatur Præstigium, eò quod oculi perstringantur. 2. per somnia, & dicitur Oniromantia. 3. per fictas mortuorum suscitationes & locutiones, & est Necromantia. 4. per viuos, & arreptitios homines, pythones, & appellatur Deomantia. 5. per figuras & signa terrestria, & tunc ex diuersitate materiæ seu medij sortita est varia nomina: si in materia terrestri, vt vngue, ferro, siue lapide, & nuncupatur Geomantia: si in aqua, Hydromantia: si in aëre, Aeromantia: si in igne, Pyromantia: si in intestinis animalium, Aruspicium: si in victimis humanis, Antropomantia: si in piscibus, Ichtohyomantia: si in capite asini super prunas imposito, Cephalæomantia: si in gallo gallinaceo certa grana comedente, litteris quantumcumque suppositis, Alectryomantia: si in vino victimis iniecto varioque motu & colore, Oinomantia: si in fumo è granis papaueris in prunas iniectis emisso, Capnomãtia: si in fumo ex thure exhalato, Libanomantia: si in oleo, & fuligine in vnguem effusam, Onymantia: si in fusæ ceræ gutulis in aquam decidentibus, Ceromantia: si in saluia & foliis ficuum Bettonomantia: si in farre, libo, &c. Crithomantia & Aleumantia: si in ouis, Ooscopia: si in securi, forcipe, cribro & similibus, Coscinomantia seu Axinomantia: si in annulis, Dactylomantia: si per euocationem dæmonis ex pelui aqua plena, lapillis prius, & laminis iniectis, Lecanomantia: si in crystallo, Crystallomantia. Mersennus in Gen. cap. 1. vet. 1. ratione 23. His ergo & similibus modis velle aduertenter cognoscere occulta est peccatum mortiferum ex genere suo, nec excusat paruitas materiæ, nec ignorantia, nam quis ignorat non licere commercium habere cum Dei infensissimo hoste?

Diuinatio, in qua solum est inuocatio, vel pactum implicitum, ad quod requiritur, vt cognitio acquiratur per medium de se inutile, sine diuino auxilio, habet etiam varias

 species.

species. Nam potest esse per situm astrorum, & dicitur Astrologia; vel per garritum auium & animalium, & appellatur Augurium; vel per volatum earumdem auium, & vocatur Auspicium: vel per verba casu ab aliquo prolata, & nuncupatur Omen; vel per inspectionem solam hominum & animalium, & dicitur Zooscopia & Physiognomia, quæ subdiuiditur in Metoposcopiam, qua ex vultus frontisque obseruatione; & Chiromantiam, qua ex volæ sectionibus de morbo, vita, sanitateque præsagiunt: vel per sortes diuinatorias sortilegium.

Omnes diuinandi modi in genere moris sunt eiusdem speciei, sicut furta auri, argenti, &c. nec specialem includunt malitiam: & per consequens in confessione non est explicandum an diuinatio facta sit per aërem, per specula, &c. benè tamen an facta sit cum tacita, siue expressa inuocatione, siquidem etsi hæc solùm differant sicut perfectum & imperfectum intra eamdem speciem, notabiliter tamen mutant iudicium confessarij, cùm pactum expressum coniunctam plerumque habeat hæresim, aut adorationem dæmonis, aut alia peccata.

Et quidem ad implicitum pactum sufficit, vt homo serio hæc signa adhibeat ad occulta speculanda, etiamsi non intendat expresè dæmonem inuocare, & protestetur se nullum cum dæmone commercium velle. Cùm enim eorum solus dæmon auctor sit, hoc ipso ab eo vult doceri, eiusque doctrinam sequi: quod intrinsecè malum est; cum per ea id petatur à dæmone, quod proprium est Dei. Neque requiritur, vt dæmon aliquod anteà pactum cum ipso inierit concurrendi cum eo, qui huiusmodi signis vsus fuerit: cùm enim hæc media sint inutilia ad diuinandum, eo ipso, quo quis seriò tales vanitates adhibet, dæmonem tacitè inuocare videtur. Quod procedit, quamuis talia media vtilia putet, eo quod per experientias ei constet ita successisse.

Excusatur tamen à mortali quandoque diuinatio, quæ fit per pactum tacitum, scilicet tunc cum quis init pactum ignoranter, vtendo signis, nesciens ad superstitionem & maleficia spectare, vel fidem certam non adhibet, sed solum timorem quemdam, aut suspicionem habet futurorum contingentium.

Licita est 1. Astrologia naturalis, quæ effectus corporeos &

& naturales vt pluuias, nubes, niues, pruinas, grandines, ventos, tempestates, serenitates, frigora, calores, eclipsim, fertilitatem, salubritatem, morbos, &c. quæ ad Medicinam, vel agriculturam, vel nauigationem conducunt, ex astrorum, maximè planetarum ortu, occasu, coniunctione, oppositione, varioque aspectu, profert; modò nec excedatur in credulitate, nec imprudenter fiat. Imò etiam cum ex iisdem ex puncto natiuitatis prædicit complexionem corporis, & affectiones animi, non tamen tanquam certas, vel nimium probabiles.

2. Diuinatio, quæ per auium, piscium, & animalium quorumlibet voces, motus, aliasve actiones, solum ea pronunciat & obseruat, futura vt plurimum, quæ naturaliter ex instinctu indito ab auctore naturæ, animalia voce & motu significant, v. g. quando vespertiliones longè à domibus volitant indicant serenitatem. Quando cornicula frequenter crocitat, pluuiam breui instare denotat.

3. Physiognomia, si ex corporis partibus, lineis, vel signis obseruet corporis temperiem, naturales affectiones, malam vel bonam valetudinem; Imo etiam & animi propensiones probabiliter coniectet.

4. Oniromantia, si ex somniis, quæ à Deo vel ab interna humorum dyscrasia, vel à phantasmatibus præcedentium cogitationum, vel à continente aëre, vel ab impressione cœlestis corporis, immittuntur, coniectat hominis complexionem, & inde affectiones animi prædicit; v. g. si quis incendium per somnium videat, iudicat Medicus flaua bili abundare: si fumum, caliginem, tenebras, funera, & res tristes, atra bili: si pluuiam, nubes, pituita, vel phlegmate frigido: si somniet se volare, seu velocissimè currere, indicat esse leuis & temperatæ complexionis: si grauia onera ferre, grauari, &c. multitudine humorum premi. Ratio horum esto quia hæ diuinationes naturales sunt, & media proportionata, adhibent.

Illa præcipua signa diuini insomnij, si nihil accidit turpe, vel inhonestum; si sit suaue, & relinquat animum deuotum; si ad malum non inducat, si promptior, & alacrior animus maneat in vigilia. In dubio tutum credere esse à dæmone.

Secus dicendum est, si ex iis omnibus prædictis diuinatio-

nibus aliquid nosci, aut proferri intendatur, quoad ea, ad quæ proportionata non sunt, vt quoad futura contingentia libera, aut quæ à Deo pendent, vt circa statum animæ, dona gratiæ, conditionem vitæ, matrimonium, liberos, honores, opes, infortunia, inimicitias, prælia, exilium, carcerem, mortem, &c. quorum electio voluntaria est, & à libero hominum arbitrio pendet. Itémque quoad occulta, vt furtum thesaurum absconditum.

Mirandum hîc, quam securè sectentur insomnia Genuenses mulierculæ detorquendo eorum interpretationem ad seminarij, vt vocant, ludum, quasi parum sit pecunias tam improsperè, & contra fortunæ votum perdere, ni etiam âleam subeant perdendæ animæ cum Dæmone vaferrimo per insomnia collusore.

Est peccatum mortale consulere Ægyptios de fortuna, si firmiter eis credatur: secus si ex curiositate, & animo ridendi.

Siquis ab astris, somniis, &c. regatur in rebus agendis, grauiter peccabit: si tantum ex illis semel, vel iterum operetur, vel aliquid omittat, quod alias malum non est, vanitas quædam erit, & venialis leuitas. Sicut & subindè timere leuiter, ne ita sit; aut contingat, quod indicant.

Sortes (quæ fiunt per inspectionem figurarum, quæ contingunt ex plumbo liquefacto in aquã proiecto; siue ex festucis inæqualibus, vel in earum proiectione: vel dum consideratur, quid aperienti librum occurrat; vel in iactu taxillorum) si diuisoriæ sint, ex se malæ non sunt. 1. ad honestum ludum. 2. ad componendas lites tam laïcas, quàm Ecclesiasticas, vt inter hæredes & legatarios, &c. modo litigantes, qui æquale ius habent consentiant: siquidem nihil aliud sunt, quàm contractus fortunæ, in quo partes, quæ ad aliquid ius habent, æqualem subeunt conditionem acquirendi, vel perdendi. 3. cum lis tempore pestis, aut persecutionis aliter dirimi non potest, possunt mitti sortes inter Religiosos, vel Medicos, quinam infirmorum, vel animarum curam habere debeat. 4. in tempestate maris periculosa, quisnam in mare proiiciendus sit, ne omnes pereant. 5. si plures mortem meriti sint, nec expediat omnes plecti, sorte definiri potest, quis ex iis sit occidendus. 6. si milites non conueniant inter se, quinam primi esse debeant in incursione contra hostes.

Admisceri culpa potest ex praua intentione, vel erronea opinione;

opinione; vt quia humani actus pendeant ab astris, vel quia confidit de ope dæmonis; ex irreuerentia rerum sacrarum v. g. libri Euangeliorum, qui adhibeatur; ex iniustitia, siue includendo ex æquo, qui inæquale ius habent; & ex materia, vt si fiat in electione Ecclesiastica, quæ per sortes fieri non debet, & si fiat est nulla cap. Ecclesia de sortileg. & can. Non statim. Panor. in dicto cap. Eccles.qui subdit officia sæcularia non sorte, sed iuxta personarum idoneitatem esse conferenda, & si inter plures æquè idoneos & dignos sortes mitti possint.

Consultoriæ bonæ sunt, si à Deo pro necessitate, cum inuocatione sui auxilij, & in rebus salutem concernentibus, & non à Dæmone, iudicium speretur.

Diuinatoriæ autem, quæ scilicet fiunt ad futurum, vel occultum aliquod inquirendum, quasi sortibus vis aliqua diuina insit, illicitæ sunt.

CAPVT IV.

De vana obseruantia.

VAna obseruantia est, in qua dæmon tacitè inuocatur, cum in ea media assumuntur, quæ non habent vllam operandi virtutem ad tales effectus, qui expectantur.

Quadruplex est. 1. est ars notoria, quæ continet certa ieiunia, orationes ad scientiam consequendam sine labore. 2. obseruantia sanitatum, cum homines quibusdam orationibus, verbis, signis, certo numero crucium, imaginibus astronomiæ sanant morbos. 3. est futurorum, cum ex impertinentium euentuum consideratione coniiciuntur mala sibi vel aliis euentura. 4. reliquiarum, cum scilicet vanæ portantur, aut veræ cum aliqua circumstantia vana v. g. in tali capsa, tot diebus cum tali herba, carta, &c.

Quæ, posita notitia: quòd sint res prohibitæ, & inutiles, sunt peccata mortalia ex genere suo, quia defertur honor diuinus creaturæ expectando ab ea, quod à solo Deo expectari debet; tum quia inuocatur dæmon. Nec in iis datur paruitas materiæ ob tacitam cùm Dæmone societatem. Fieri

autem possunt venialia ex ignorantia, si pactum sit implicitum tantum; vel si non adhibeatur fides, licèt timeatur ita esse, vel futurum.

Vana obseruantia dignosci potest. 1. quando scilicet res, quæ adhibentur ex sua natura, & virtute non habent naturalem efficientiam respectu effectuum, qualia sunt noscere secreta cordium, hominem repentè, vel in loco distanti sanari. In dubio tamen, an excedat vires causæ naturalis, præsumendum est oriri à causa naturali. 2. cùm effectus fit fine motu locali, vt si quis faciat mensam, vel hortum statim apparere, vt fecit S. Albertus Magnus virtute diuina 3. si effectus statim euanescat. 4. si apponatur aliqua circumstantia vana & inutilis, tanquam necessaria, v. g. si flagellatio fieri debeat in tali loco publico, in tali corporis parte, tali hora, numero, manu, flagro serico. Cùm tribuitur effectus naturalis alicui ex rebus, vt verbis, signis, vel caracteribus peregrinis. Item cùm ponitur spes in modo scribendi, vt quod Euangelium scriptum deferatur in charta virgine. His positis facilè est secernere remedia superstitiosa à non superstitiosis. Sit igitur,

CAPVT V.

De remediis superstitiosis.

SVperstitiosè maleficos morbos extirpat. 1. qui fabricat imaginem ceream similem ægro & magicis præcantiunculis, partem, in qua est læsio adsumit & comburit, vel si est in toto, totum illud comburit. 2. qui obseruat galli cantus, eoque tempore pharmaca propinet. 3. qui certò credit, si imaginem similem maleficæ faciat & comburat, vel si quid precario, vel furto de domo eius acceperit, maleficium dissoluturam. 4. qui liquefacto plumbo, vel tactis postibus sanguine menstruo, & lapide amianto, vel felle canis nigræ, vel sanguine hyenæ, vel atri canis, tum mandragoræ & baaras effusione, vel lotio humano emisso per annulum desponsationis, vel cerebro felis, vel capite corui, vel nido auium simul cum matre capto, vel hostia non consecrata, vel amigdalis

ter

ter sectis, terque scriptis Christus natus, &c. vel decocto verbenæ, vel figuris, litteris, vel caracteribus, signis quibusdam impressis, vt lapidibus, gemmis, auro, argento, ære, stanno, ferro, dominante eorum planeta, certo obseruato die, cælique parte, liberat à maleficio. 5. qui putat oblationem ex bonis eleemosyna comparatis, vel crucem ex eleemosynis emptam, vel determinatum diem, mensem, annum, festum, vel solis, lunæ, syderúmve radios esse sanctiores & maioris efficaciæ ad effectum consequendum. 6. qui offert sanctis ceram, vel aliam materiam, illi immiscens capillos hominis, vel ex clauis ferreis antiquis format annulum ad conciliandum amorem; vel metitur cingulum ægrotantis ad iudicandum à quo sancto sit sanitas obtinenda, adhibitis aliis definitis verbis seu ritibus; vel pro quibusdam animalium morbis, ignes struit ex peculiaribus lignis, & in eum illa impellit, vel in orbem circunducit, & quod primo loco transit animal, hoc sanctis offerat; vel coquit libum triangularem, & ei quinque foramina imprimit, postea in B. Lupi honorem libum dat primo mendico fortuitò occurrenti; vel alligat animal tribus horis steloni arboris, quæ nunquam fructum tulit; vel iniicit phialæ vitreæ aqua plenæ. 9. hordeæ grana, &c. 7. qui pro quibusdam capitis doloribus, & similibus morbis, ad porcorum lintrem, seu obbam collum applicat, in nomine Patris, &c. vel stamen bipenni diuidit, vt sanentur manuum vel digitorum tumores; vel pro morbo icterico iubet, vt æger transeat, recitatis quibusdam verbis, & retranseat ter in orbiculo salicis more catulorum nebulonum; vel pro febri tenet opus esse, vt æger ab vno vrbis ostio exeat, retro minimè respiciens; vel pro pannaricio morbo arquato, lienis sciro, spinamque euellendo, obseruandum censet, vt sambucus aurora sole nascente salutetur, aliis verbis, aliisque variis vtendo; vel ne sanguis effluat, adhibet quemdam lapidem, qui iam incantatus defertur ex Oriente; vel brachium dextrum cingit radice cannabis adhibitis quibusdam verbis, quæ somniauit Marcellus c. 21. vel pro spiculis, quæ relinquunt apes, vtitur tactu 9. lapidum, quasi vis sanandi consistat in illo determinato numero; vel sagarum, & fœminarum carminatricum, salutatorum petiis benedictis, vel aqua huiusmodi, vel orationibus pro parturientibus, vel morbo laborantibus vtitur; vel applicato remedio vittis, aut gladio, aut lignis sanguine

inunctis vulneratum absentem curat; vel puerum ponit super visum, ne timeat.

CAPVT VI.

De remediis non superstitiosis, seu licitis.

SVperstitiosum non est 1. si quis potiùs colligat herbas in solstitio, purget corpus vere. 2. si ferat reliquias, amuleta causâ deuotionis, ex fiducia erga Deum & Sanctos, omissis superstitiosis ceremoniis, & vanis obseruantiis, quibus existimet esse contra vulnera, vel subitam mortem, &c. 3. si obseruat galli cantum, non ea existimatione, quasi vim habentem ex se ad destruenda maleficia, sed prout indicat dominicam Resurrectionem, S. Petri pœnitentiam, vel futuras populorum preces, à quibus valde dæmon abhorret, & fugatur cantum illum audiendo, vtpote qui lucem odit, & fugit, cum *lumina nocte canit prædicens impiger ales.* 4. si circumducat nouies iumenta ad templum S. Antonij, vel ipsemet circumeat circa sepulcrum B. Petri de Arbues, vel die alicuius sancti eis venam secet: vel faciat annulum ex primo nummo in Parasceue oblato, si tamen hæc faciat vt se magis excitet ad precandum ob diem sancto dedicatum, vel ob affectum, quem habet specialiter erga sanctum, à quo opem & auxilium sperat. Aliud tamen esset, si crederet tales circumstantias infallibiles aut planè necessarias aut per se efficaces.

Tollendi tamen sunt tales vsus, & omnes ceremoniæ ab Ecclesia non receptæ, si id commodè fieri possit, tanquam ij, qui superstitionem vanam redolent: at si commodè tolli non possunt, non sunt condemnandi, sed simplices docendi sunt, vt habeant rectam intentionem, sic enim non committent vanam obseruantiam. Nec damnandæ aliquæ consuetudines, si fiant ex deuotione, nullúmque sequatur scandalum, vt si in memoriam alicuius mysterij v. g. nouem mensium, quibus Christus fuit in vtero, nouem, vel ad exemplum S. Gregorij 30. Missæ celebrentur cum certo cereorum numero; modò non ita fides collocetur in eo numero, vt non liceat illum augere aut minuere.

Multi

Multi excusant etiam eos, qui nascuntur in die Parasceues in Flandria, & suo contactu sanant à febribus; & septimos masculos, qui nullo fœmineo sexu intercedente, ac abortu legitimo thoro nascuntur, nec non eos, qui dant operam medendo rabido morsui canis, & aliis morbis; examinandi tamen sunt diligenter ab Ordinariis, antequam hoc munus exercere permittantur: an hoc præstent vel ex pacto cum dæmone, vel remediis naturalibus; vel ex gratia gratis data, sicut Rex Francorum, qui habet virtutem curatiuam strumosorum, & Rex Angliæ olim quosdam annulos benedicebat vtiles neruorum contractioni, spasmo & comitiali morbo.

CAPVT VII.

An maleficio vexatus habens notitiam de malefico, possit petere, imò cogere vt maleficium soluat.

SI maleficus potest, atque nouit soluere maleficium licitè, sine alio nouo maleficio, licet eum ad id accersere, petere, imo etiam pecunia inducere, vel verberibus, aut tormentis cogere, non tamen occidere, si nolit, & si dubitet aut certo sciat modo illicito soluturum; modo ne petens cooperetur malefico in maleficio, si eo velit vti, vt sumendo medicinam: licet enim petere rem, quæ ab alio licitè fieri potest, & est indifferens, & alioquin petens habeat necessitatem petendi, exemplificatur in eo, qui petit mutuum necessitate coactus ab vsurario, & iuramentum ab infideli, & Sacramentum à malo ministro, etiamsi certò sciat primum fœneraturum, secundum iuraturum per falsos Deos, vel peieraturum, tertium malè administraturum.

Licet etiam malefico aut cuilibet alteri soluere maleficium per remotionem signorum, quæ aliquando à maleficis in aliquo loco reponantur; & per positionem signi contrarij ex se tamen indifferentis, v. g. si dæmon fecit pactum cùm malefico, se nociturum, nisi dæmoniacus signet se signo crucis, vel nisi radat barbam, liceret illi se signare, & radere animo tollendi signum, non verò animo sanandi medio inuento à

dæmone. Idque etsi damnum in maleficum redundaret, quisque enim habet ius sibi consulendi, licèt per accidens sequatur alteri damnum. Item rogare maleficum, vt signum suum auferat, & nocere desinat cum protestatione se cum dæmone nil commune habere velle. Vnde vlteriùs infertur, quòd si saga te tangat inficeris, & si eam repercutias, desinit inficere, poteris eam repercutere.

Si maleficus nequit dissoluere maleficium, nisi alio maleficio, non licet ab eo etiam parato petere dissolutionem etiam pro re graui, & bono publico, aut causa curiositatis. Nam maleficium est per se malum, & omni iure prohibitum, Naturali, quia est contra legem naturæ exigentem reuerentiam & fidem erga Deum. Leuit. 20. extremo supplicio malefici plectuntur. Iure canonico 1. sunt ipso iure infames 6. q. 1. cap. infamis, 2. debent excommunicari 26. q. 5. can. Episc. Iure ciuili omnis magus capitis supplicio feriendus est l. 1. c. de maleficis & Math. Nullus autem potest ab alio petere, vt hoc faciat, quod per se peccatum est.

In dubio an maleficus nouerit modum licitum soluendi maleficium; ab eo peti non potest dissolutio; exponit enim se periculo petendi rem illicitam: non licet autem operari cum dubio rei illicitæ.

Nec etiam licet petere ab alio mago, vt dissoluat maleficium alterius, nisi constet modo licito dissoluere posse.

Et sic peccant Iudices cogentes maleficos vt maleficia curent, vel ægros benedicant, quia illa benedictio est ceremonia superstitiosa includens pactum cum dæmone.

LIBER II.

De naturalibus remediis.

GAspat Brauo p. 6. consult. 8. §. 5. tria aduertit. 1. quòd aliquando dæmon suadet Magis morbum inducere, non quia habeant permissionem ad ipsum inducendum

dum, sed quia cognoscit facilem dispositionem in aliquo, vt incidat in illum, qui morbus potest & debet curari rationali methodo, etsi maleficus iudicetur. 2. dæmon inducit morbos mediis naturalibus causis, & tales debent curari naturalibus, & diuinis auxiliis. 3. possunt permissione Dei sine causis naturalibus fieri à dæmone, & pro his curandis nulla naturalia possunt auxilia. Addit quod quoad morbos, quos efficit dæmon mediis causis naturalibus, aut habet permissionem ad ipsos causandos tantum, vel simul ad ipsos causandos & conseruandos: si ad vtrumque frustra adhibentur auxilia naturalia, cùm valeat dæmon similes causas mouere, iterúmque applicare, & conseruare, contra cuius vim nulla naturalia auxilia prodesse poterunt: si tamen habuit permissionem ad morbos causandos applicatione causarum, non autem ad ipsos fouendos, erit vtilis naturalis, ac rationalis curatio, per quàm auferantur causæ, quas dæmon semel valuit applicare.

CAPVT I.

De medicamentis vomitoriis.

NAturalia medicamenta duplicia sunt ex Sennerto to. 3. lib. 6. p. 9. c. 9. vel euacuantia humores putridos & vitiosos, quibus vtitur diabolus, ad inducendos morbos; vel alterantia & alexipharmaca, quæ dispositionibus à diabolo introductis aduersantur. Inter vacuantia vtilia sunt emetica, seu vomitoria: nam experientia constat, contumaces grauesque morbos, quorum causa in ventriculo, mesenterio ac circa hepar, & lienem hæret, quæ assuetis per aluum purgantibus non potuit euacuari: vomitoriis non obstitisse, sic enim Rulandus curauit dæmoniacos, & obseruatum est, quosdam maleficio affectos fuisse sanatos, cum cultros, capillos, vitra, &c. simul cum vitiosis humoribus abiecissent.

Sit prima ante vomitum lenitio ventris, ne materia, ex aluo ad ventriculum trahatur; ideò sunt optimi priùs cysteres.

Vomitus non valde manè fiat, & sero præcedenti abstineatur à repletione ciborum, præcipuè frigidorum.

Et

Et ad euacuandum stomachum vomitus prouocari potest etiam post vnctuosa, & stomachosa cibaria comesta ex Hip.3.de diæt.3.

Neque fiat vomitus, vel ante, vel post venæ sectionem statim.

Hora vomendi ligentur oculi, & frons fascia benedicta.

Post vomitorij assumptionem leuiter corpus mouendum, vt facilius vomatur: 4. p.11.

Post vomitum lauanda est facies, & os aqua rosata, & aceto.

Completo vomitu quiescendum duabus horis: tum cibus offerendus assus potius; sed leuis digestionis, quàm elixus.

Si post vomitum in stomacho mordicatio sentietur, fercula pinguia, & vnctuosa exhibenda sunt; ipsique superponatur lana succida in oleo calido infusa.

Si superuenerit singultus, potetur aqua calida, sin autem non confert, excitetur arte sternutatio.

Si vires videantur malitia vomitorij debilitatæ, offerenda ℥.j.confectionis hyacinthi, vel Alkermes, vel lapidis Belzuar ℈.10. vel elyxir vitæ.

Vomitoria ad tria genera reducuntur: vel ventriculum nimia copia, & quantitate pressum molestant, siue sit aqua, siue vinum, &c. & dicuntur leuia. Vel eundem qualitate sua acri, & mordicante vellicant, lancinant, aut dissoluunt, & sic ad vomitum excitant. Vel tota sua substantia prorsus ipsi contrariantur, qualia sunt quæcumque in venenorum veniunt numero. Nunc Medici suadent, quando morbus est leuis, tribueretque inducias, semper à leuioribus vomitoriis esse inchoandum, deinde veluti per gradum ad fortiora transeundum, leuia enim parant naturam ad vomendum, vnde euitentur repentinæ mutationes, sibi inimicæ; ideò Hip.7. epid. n.53. proponit vomitorium ex aqua, aceto, & sale. Galenus 2. de antidot. c.7. aquam calidam, & acetum mulsum, & hidreleon, & omnia tepida tepidè excitare vomitum ait Gale.8. met.5.quantitatem verò restringit ad t.i.

Vbi verò adest morbus fortis, & magnus, fortia, & magna deberi vomitoria Medici dicunt, & magis salutaria magicis morbis recensent hæc: Veratrum nigrum; struthium, quòd radicula, & lanaria herba dicitur. Thymeleon; Glans vnguentaria;

vnguentaria ; lathyris seu catapucia ; Ricinus Thapsia, ruta agrestis, radix ciclaminis, semen nasturtij, agaricus, eupatorium Mesues, bulbus vomitorius, vel narcissus, flores genistæ, & semen, folia, & radices asari, semen vrticæ, sparthum, Gratiosa seu gratia Dei valdè proficua ; stybium præparatum, vulgò antimonium, puluis Alheroti vsualis, vitriolum albificatum, sal tartari.

Inter duo extrema intermediant mediocria vomitoria ; vt flores, & semen aneti ; semen, & radix atriplicis ; semen erucæ ; semen rapi, radix raphani, radix citruli, vel peponis, radix betonicæ, semen dauci, cartamus ; quæ modo decoquuntur in sola aqua simplici ; modo in aqua medica, vt rosata, hyperici, modò in aqua, & oleo videlicet.

℞. Aliquorum dictorum simplicium ℥.j.ß. aquæ fluminis ℔.j. decoquantur ad consumptionem tertiæ partis, cuius ℞. ℔.j. oximel. & olei an.℥.j.ß.m. vel, ℞. seminis nasturtij, radicis raphani beton. an.℥. ij. ß. seminum fugæ dæmonum ℨ. j. decoquantur in ℔.j. ß. aquæ ros. alb. ad consumptionem quartæ partis, adde oximel. squillitici, olei an.ℨ.j.ß. m. pro vomitorio ; & id confert etiam stomachis plenis humoribus, & flatibus, ætate, temperamento, & tempore calido.

Vel ℞.Rad. atriplicis, seminis aneti, carthami an.℥.ij. decoquantur in ℔.j.ß. aquæ betonicæ ad consumptionem tertiæ partis ; tum adde oximel. simpl. aceti an. ℥. j. olei veteris. ℥. ij. salis gemmæ ℥.ß. pro duabus vicibus. Vtimur etiam in pituitosis stomachis, natura, tempore frigido.

Quando decipiendi sunt ægri, medicamenta abhorrentes ex supradictis pulueribus conficere possumus placentam cum melle, vel saccharo, vel electuaria. ℞. Seminis carhtami, aneti, & radicis raphani exiccati an. ℥. ij. cum melle despumato fac elect. vomitiuum, dosis sint ℥.ij. pro vice.

Vomitorij verò fortioris exempla, quod complexionibus robustis, aëre temperato, fortioribus vexationibus, morbisque magnis, ac in pituita crassa æruginosáque bile propinatur, sunt quæ sequuntur & quidem vtiliora.

Ex Rulando cent.6. cap.5. ℞. Pulueris radicis asari ℥. ß. aquæ cardui benedicti ℥. vj. vel hissopi Matthiol. commendat semen lathyris ℈. 10.

Vel ℞. Succi thapsiæ lotæ prius aquâ mellis exiccati ℥.j. puluer.

puluer. menthæ, & florum nimpheæ an. ℥.j. iuris pull. ℥. iv. m. vel pulueris rad. thapsiæ ʒ.iiij. purgat per superiora, & inferiora ex Gal.6. simpl. trahitque ab intimo ad extra, difficilique anhelitui ac spuitioni prodest.

In forma solida. ℞. Cort. radicis thapsiæ mense Maij, vel Iunij collectæ ʒ. j. asari ʒ. ß. castaneolæ vomicæ, seminis attriplicis an. ʒ.iij. granorum cataputiæ, seu lathyris excorticatorum ʒ.j.ß. gummi arabici ʒ.ij. contunduntur, & cum melle despumato f. elect. doses sint ʒ.ij. seruetur per annum ex Arnaldo Vill.

Vel ℞. Semin. carthami, rad. asari, enulæ campanæ, cataputiæ excort. vel rucini an. ʒ. j. cum melle despumato f. elect. vomitiuum secundùm artem, dosis ʒ.iij. robustis.

℞. Helleb. nigri ʒ.iiij. rad. asari ʒ.j. rad. centauriæ, thuris, perforatæ an. ʒ. ß. infundantur per noctem in ℥. x. aquæ betonicæ, facta decoctione ad consumptionem quintæ partis, coletur, serueturque pro potu, addendo aceti rof. ℥. ß. tepidè deglutiatur. Ad corrigendam aliquam medicamenti venenositatem alij volunt immisceri ʒ.j. theriacæ Andr.

At in forti temperamento, cui adhibitis prius aliis medicamentis morbus persistit. ℞. Hellebori albi ʒ.j. infunde per noctem in ℔. j. vini, aut aquæ fl. citrangul. vel in calidis complexionibus aquæ fl. rof. alb. facta leni decoctione, cole, ac adde oximel. simpl. ʒ.ij. ac tepidè deglutiat æger.

Vel ℞. Helleb. albi ʒ. j. florum genistæ, iuæ, manuschr. rutæ an. ʒ.j. infunde per noctem in ℔. j. vini, vel aquarum dictarum; tum ebulliant ad consumptionem quintæ partis; colaturæ adde olei benedicti ʒ. ß. bibatur, repetendo tribus vicibus.

Celebratur been Arabum, quod ex Constantinop. affertur ex Mercurial. lib.1. cap. 16. quia est sine sapore, & sufficit vnum vel 2. grana decorticata, & admisceri potest modicum facchari, mouet per vomitum, & aluum; maniacis & melancholicis prodest.

Laudatur antimonium ex Matthiolo lib.5.cap.58. ℞. Antimonij electi ℔.ij. contere in mortario æneo minutissimè, imponaturque in vase terreo supposito igne accenso, continuè spatula ferrea nunquam cessando agita, vsque dum admittat vapores & solitum splendorem, odorémque sulphuris, ac in cinerem versum positum super carbones ignitos nullum euaporet

poret fumum; dum enim occurrit, vt solet, conglobari, seu se se vniri, opus erit quoties conglobatur, toties ab igne remoueri, & in puluerem reduci spatulâ semper agitando calcinari; huius itaque antimonij ℞. ℔. ß. boracis auri fabri ℥. j. salis ammoniaci ℥. ß. reducantur vnà in puluerem, abscondatur in circulo circumdato, beneque tecto fortissimo igne in fornace proportionata, inspiciendo post tertium horæ spatium, an fusum; tunc proiiciatur super tersum marmor; vel trullei cretacei fundum, lamináque formentur colore hyacinthi.

Vel ℞. Antimonij, tartari an. ℔. ß. puluerisentur, adde salis nitri ℔ j. immittantur in olla ignita pedetentim, & inuenies regulum album: cuius ℞ ℥. ij. puluerisa minutissimè, cum ℥. ij. salis ammoniaci include in cruciolo, & da ignem, vt supra, & lamina effotmentur.

℞. Antimonij crudi ℔ j. aquæ salis q. s. quibus mixtis & solutis sublimetur, quod sublimatum est collige; ablue, & ad vsum serua: dantur grana 5. vel 7. cum conserua rof. in iure, vino, &c. ex Vueckero.

℞. Vitriolum Rom. exiccatum, dissolue in aqua, depuretur per residentiam, depuratum euapora, quod in fundo erit propinabis ad ℈. ij. vel iij. cum conserua aliqua, ex Heurnio.

Ex Alheroso ℞. Antimonij, tartari an. ℔. ß. puluerisentur, adde salis nitri ℔. j. iniiciantur pedetentim in ollam ignitam, & fiat regulus albus; cuius ℞. ℥. j. mercurij ℥. iij. arsenici sublimati ℥. iiij. pistentur subtiliter, & intromittantur in vitrea storta, ac accendatur ignis cineris lentus; supponaturque recipiens semiplenum aquæ cordialis, vel scorsonariæ; vel & melius, maluæ; post temporis spatium reperies ibi butirum album, quod in vmbra exiccetur, seruetutque; dosis sit ℈. vj. pro vice.

Sunt aliqua, quæ extrà applicata ab vmbilico supra (infra enim ventrem ducunt) vomitum prouocant, vt fel animalium, vnguentum de cyclamino; vel ℞. Rad. cucum. syluest. ℥. vi j. coccognidij, scamoneæ an. ℥. j. lactis tithymali ℥. v. cyclaminis, terebinthinæ an. ℥. ß. hellebori albi ℥. iiij. mellis quantum sufficit ad emplastrum.

Sunt alia, quæ manuum pedúmque volas inungendo vomitum prouocant. ℞. Lythargyri, auripigmenti, euphorbij, pyrethri, hellebori albi an. ℥. j. argenti viui extincti ℥. j. ß.

succi

ſucci oxylapathi, ſucci bryoniæ an. ℥. ij. axungiæ porci veteris ℥. v. confice, & adhibe; poteſt addi fel tauri, colocynthida, hermodactyli.

CAPVT II.

De medicamentis purgantibus.

SI veneficium ſentitur in ſtomacho, vel œſophago, ſignis ab hoc affecto acceptis, à vomitu inchoandum eſt; at ſi grauitate, dolore, cruciatu, videatur ineſſe inteſtinis, & infra ſeptum tranſuerſum; optimum eſt initium ſumere à clyſteribus, deinde à purgantibus medicamentis; ſi verò materia iacet in aliqua parte corporis longinqua, vt artubus, capite &c. fouente ventriculo; tunc præcedente vomitione tutiùs eſt deuenire ad electiua, & eradicatiua purgantia peccantis humoris.

Quòd ſi morbus magicus non eſt ex aſſumpto veneficio, ſed externè fabricato; procedendum eſt, prout indicabit morbi eſſentia, pars affecta, & temperamentum, vitaque anteacta, immiſcendo ſemper naturalibus remediis ea, quæ ab occulta proprietate valent his morbis, vnita exorciſtica benedictione: vt lapis Belzuar, fragmenta gemmarum, margaritæ vnicornu, terra lemnia, bolus armenus, vtrumque corallium, alyſſum, vincetoxicum, artemiſia, allentia rhamus, abſinthium, chelidonia, antherrina, verbaſcum, aloes, aſphodilus, acetoſa, betonica, biſtorta, brionia, bacchares, baaras, centaurea, cupreſſus, cyperus, cyclamen, calamentum, dipotamus, dracunculus, caryophyllata, eſula, enula, helleborus, eupatorium, fœniculus, fumus terræ, hypericon ſeu fuga dæmonum, geniſta, gentiana, herba trinitatis, hyſſopus, herba, quæ tranſiuit per medium lapidis perforati, herba & baccæ paris, iuniperus, iua, lilium conuallium, lignum aloes, laurus, maiorana, morſus diaboli, ſeu ſucciſa, meliſſa, molij, mater ſyluæ, mitridaticon, mirrha, myſica, nigella, naſturtium, origanum, palma Chriſti, pæonia, panis porcinus, polipodium, pimpinella, quinquefolium, ruta, raphanus, ruta capraria, ſabina, ſquilla, ſtechas, ſcordium,

ſcabioſa,

scabiosa, senna, succus cyrenarius, spica nardi, sperma ceti, tormentilla, trifolium, acerosum, valeriana, verbena vngula caballina, semen agni casti, adamas, magnes, lapis chelidonius, opalus galactites, saphirus, cathoitus, smaragdus, iaspis, argentum viuum, chrysolitus.

Dum igitur in coniecturam venisti annuentibus indiciis signum, seu maleficum instrumentum intercludi in aliquo inferiori viscere, doctus ab Hip. in epist. num. 32. scribens; purgatio deorsum versus commodat, vbi sine febre est tormen, lumborum dolor, genuum grauitas, menses ægrè prodeuntes, dolores in partibus sub septo transuerso, iubeas per tres dies manè, post horas tres syrupi præparantis, vt talia immittantur clysteria.

℞. Fol. beton. fugæ dæmonum, iuæ, rutæ, aneti, maluæ, atriplicis, mercurialis, parietariæ an. ʒ.j. fol. sennæ, epithym. an. ʒ.j. hellebori nigri ℥.j.ß. f.d. in aqua fluminis, cuius decoc. ℞ ℔. ß. hieræ picræ, benedic. Nicol. an. ℥.ß. olei rutacei, camomel. an. ℥.ij. ß. salis gemmæ ʒ.j. m. pro clyst. & quando actu fit, deglutiat æger aquæ lustralis ℥.j. ad materiæ vaporosæ interdicendam ascensionem. Vel ℞. Fol. lauri, marrubij, sabinæ, matris syluæ, verbenæ, artemisiæ, mercurialis an. p. 1. radicis brioniæ incisæ. ℥.j. agarici, carthami an. ʒ.ij. polipodij querc. ʒ.ß. f.d. in aqua; huius decoc. ℞ ℥.vij. adde olei laurini, sapæ, amigd. amar. absint. an. ℥.j. ß. salis. ʒ.j. m. pro enemate.

Hæc non solùm in his morbis sunt vtilia, sed omnibus morbis, qui dependent à phlegmatica, melancolica, flatuosáque materia, vt in articularibus, ischiade, dolore colico, hypocondriacis affectionibus, vteris frigidis, quotidianis & quartanis febribus.

Syrupi qui præcedere debent ante purgationem possunt esse. ℞. Syr. de betonica capil. ven. de stechade, fumariæ an. ℥. ß. aquæ betonicæ & mellissæ an. ℥.iij. m. vel ℞. Syr. absynthij, oximel. simpl. de tribus radicibus an. ℥. ß. decoctionis contra maleficia ℥.jv. m.

Decoctio hæc est ℞. Fol. beton. verbenæ, centauræ, pimpinellæ, quinque folij, & trifolij an. p. 1. seminis hypericon. peoniæ, rutæ, aneti, coriandri, an. ℥. ß. tormentillæ, manuschristi, gentianæ an. ℥. ß. decoquantur parum in ℔. x. aquæ fluminis, colentur, & seruentur pro potu; vt iucun-

diùs bibatur, distillari potest.

Quod si calida videatur peccare materia, dulciora conueniunt tum clysteria, tum syrupi, vt ℞. Violarum, frondium atriplicis, maluæ, aron. quinque folij, cardui benedicti, parietariæ an. partes æquales; facta decoctione. ℞. eiusdem ℥. vij. olei. viol. hypericon. rosati an. ℥.ij. diacap. Arn. ʒ.vij salis ʒ. j. m. pro clyst. Syrupus in calidis conueniret tali forma. ℞. Syr. de acido citri, de pomis, infus. rof. rub. capil. ven. an. ℥. ß. aquæ cord. ℥.iij. m. vel ℞. Syr. de portulaca, de borrag. fumariæ an. ℥. ß. aquæ decoctionis ad maleficia ℥. iij. m.

Vel ℞. pro complexionibus colericis, Syr. de succo endiu. ℥.j. de succo borraginis. ℥.ß. aquæ endiuiæ ℥. ij. borraginis. ℥.j. m. vt pro vno, sic pro vij. m.

Pro complexionibus phlegmaticis ℞.Syr.de betonica, mellis rof. colati an. ℥.v. syr. de pomis ℥.ß. aquæ betonicæ ℥.ij. boraginis ℥.j. m. pro vno, & sic pro vij.m.

Pro complexionibus melancholicis ℞. Syr. de fumo terræ simpl. de lupulis, de borragine an.℥.ß. aquæ fumoterræ, boraginis, melissæ an.℥. j. m. pro vno, & sic pro vij.

Præparati humores per electiuum medicamen educendi sunt.

℞. Fl. cord. & fruct. pect. an. p. 1. tormentillæ, valerianæ, betonicæ an. p. ß. semin. hypericon. peoniæ, rutæ an. ʒ.ß. herbæ paris ʒ. ß agarici troch. ʒ. j. f. decoc. in succo rosarum q. s. in col. diss. confect. hamech. diaphen. an. ʒ. ij. syr. D. August. syr. helleb. nigri descripti à Massaria lib. 9. c. 29. an. ʒ. vj. reub. pul. ʒ.ß.m.f.p.

Pro complexionibus colericis & sanguineis ℞. Reub. incisi ʒ.ij. decoc. flor. & fru. cord. cum ʒ. iij. sennæ, & ʒ j. sem. citri q. s. f. inf. per horas 10. deinde colaturæ factæ cum expressione adde syr. rof. sol. ℥.jv. m.f.p.

In bolis ℞. Diaphenici. ℥. ß. diacatholici ʒ. vj. m. cum facch. f. bolus.

Pro melancholicis ℞. Cort. rad. helleb. nigri ʒ. ij. sennæ Or. ʒ. iij. polypodij rec. ℥.ß. anisorum, dauci an. ʒ. j. flor. borraginis pug. j. passularum, ʒ.ij. prunorum damasch. nu-iij.f. d. f.s. a. & cum colatura dissolue syr. de polypod. Merc. ℥.ij. conf. hamech. ʒ. jv. m. f. p.

In bolis ℞. Conf. hamech. diacatholici an. ʒ. v. m. cum facch. f. bolus.

Si

Si abhorret potabilia, vel propinentur ℈.8. ſupradicti pulueris Aſheroti, vel antimonij correcti, vel florum eius, vel mercurij vitæ, vel extracti hellebori nigri, vel ʒ.ij. rad. mechoacam vino maceratæ.

Eſſentia ſtibij ex Andernaco.

STibium in puluerem contuſum per dies 10.leuigatur igne, donec primùm flos albus, mox luteus appareat: qui tandem è rubro in purpureum colorem tranſit. Huius ℥ ij. in vini ſpiritu quantum viginti digitos ſuperet, diebus 12. vaſe diligenter occluſo macerantur, poſteà ſeparantur per balneum: atque tunc eſſentia ſtibij inſtaurandis renouandiſque viribus dicata fundo vaſis ſubſternitur. Huius ℈.4. ex aqua meliſſæ chelidonij, aut vino generoſo dantur, febres curat, aquam inter cutem diſcutit, morbis vterinis, dæmoniacis, comitiali, & ſimilibus medetur, morbum gallicum, omniáque hinc orta vitia mirabilia ſanat, humores ducit ſuperfluos per cutis habitum.

In formæ pillulæ ℞. pillul. fætido de lapide lazuli, de fumoterræ an. ʒ. j. cum ſucco roſ. formentur pillul. 9. poſt 3. horas adſumat Apozema ex ℥. v. ſyr. D. Auguſt. vel de polipodio magiſtrali, aut ℔. ß. iuris accipitris, vel noctuæ, vel vpupæ, in quo decoctum ſit epythimum, & helleborus.

Vel ℞. pul. hieræ ſimpl. lapidis lazuli præparati, agarici troch. turbit. an. ʒ.j. cum ſucco brioniæ formentur pill.7. poſt.2. horas offerendum aliquod apozematis dicti.

In delicatis ℞. Fl. cord. p.1. ſennæ, epythimi, polypod j querc. an.ʒ.ß. cort. mirabol. cheb. & citrin. agar. troch. an. ʒ. ß. ſandal. citrin. ʒ.ß. fugæ dæmonum, ſeminis rutæ an.ʒ.j. dictam albi, manuſchriſti an. ʒ. j. f.d. in aqua beton. in ſuff. col. diſſ. reub. infuſi in parte dictæ decoctionis, & non col. ʒ. i j. confec. hamech.ʒ.vj. ſyr. de polypodio mag. D.Auguſt. an.℥.j.ß.m.f.p.

In pillul. forma ℞. Hyeræ picræ ʒ. jv. helleb. nigri, polypodij querc. an.ʒ. j. ß. agarici, ſalis indi, lapidis lazuli an.ʒ.j. colocynthidæ ʒ. jv. cum ſucco betonicæ, & fugæ dæmonum f. maſſa pro pillulis, doſis ʒ.j.ß. cum apozemate aliquo ſupra ſcripto.

Adhibere etiam possumus vinum helleboratum, vt ♃. Hellebori ab omni terrestri impuritate prius vino optimo mundati, ac siccati. ℥. ij. ß. follicul. sennæ, epythimi an. ℥. j. ß. corticum citri, anisi, feniculi an. ℥. ß. macerentur omnia in duabus mensuris optimi vini albi per iij. dies in loco calido; deindè coletur, & cum sacchari sufficienti quantitate dulcoretur, aromatizentúrque mane ℥. iij. vel jv. quo vino multi liniunt partes affectas tepidè.

Lullus lib. 2. de secretis nat. can. 6. commendat suam quintam essentiam chelidoniæ, in qua immisce fumariæ, centauræ maioris, epythimi, thimi, hellebori nigri an. ℥. ij. lapidis lazuli ℥. j. & dimitte stare iij. horis, & da ei in potu bis in die, semel in nocte, & vnge ab extra totum corpus, & regionem splenis.

Extractum hellebori nigri ex Heurnio.

♃. RAdicum veratri nigri effossarum sub ortum solis, incrementa ducente luna, ac peragrante dodecamorion ♉. ♌. aut ♐ in pulpam contundantur, & distillentur, dum nil amplius liquoris fundant; hoc fiet vi calidi caloris in arena; hic cinis, cum vino liquescat in lixiuium; mox balneo exhausto, liquorem salem fundus dabit, qui omne virus humani corporis antiquatum in caussariis abigit, ac in floridam iuuentam effœtum corpus reuocat; soluitur cum vino, croco, & ambra, dosis est à ℈. ß. ad ℈ j. Eadem arte extrahere potes reubarbarum, senam, epythimum, polypodium, turpetum, hermodaltilos. Extractum esulæ, aut asari cum radice ♃. Fol. esulæ siccæ, & puluerisatæ quantum sufficit; spiritus vini q. s. misce, cola, & in balneo distillentur donec mellis crassitiem acquirat; hac quoque ratione helleborus extrahitur, & gr. lathyridis, seu ricini.

Extractum vniuersale, quod potest propinari ad omnia veneficia, & ad omnes humores peccantes educendos, in plerisque morbis; sanguinémque purgat.

♃. Diagridij ℥. ß. reubarbari optimi ℥. j. trochisci diacolocynth. ℥. iij. agarici troch. ℥. vij. turpeti ex vino citoneorum macerati ℥. ß. fol. senæ ℥. ß. semin. & corticum citri an. ℥. ß. enulæ campanæ ℥. j. radicis valerianæ, bistortæ, manuschristi

manuschristi an. ℨ. ij. semin. hypericon. rutæ, peoniæ an. ℨ. j. ß. herbæ paris ℨ. j. chelidoniæ, betonicæ, feniculi, stecados, anisorum an. ℨ. j. singula contundantur macerénturque in aqua hypericon. & spiritus vini ℔. iij. postea sub prelo exprimantur, & ampulla imposita distillentur, donec crassitudinem mellis acquirant, postremò aloes ℨ. ij. dissolutis repurgatisque ex vino stillitio, vniantur in modum extracti, vt ad crassamentum mellis instar appareant: datur ℨ. j. in iure, vino, alióque liquore.

Pro pauperibus laudo seminis peplij, seu esulæ rotundæ ℨ. j. vel ricini, vel cataputiæ ℨ. j. vel succi brioniæ exiccati, & præparati ℨ. j. vel radicum sambuci, succi exsiccati ℨ. ß. vel recentis ℥. j. ß. cum melle rof. eiusdem virtutis habent radices ebuli, & semina, à Matthiolo laudatur corticis croceæ succus, vel decoctio frangolæ, quæ soluit & corroborat hepar, radices mechoacam, polypodium senna, &c.

℞. ℔. j. Chalybis loti cum aceto, & aqua, terque igne accendatur totidemque aquâ verbenæ extinguatur, limetur, ac inspergatur garyophyllorum, semin. rutæ, & hypericon. pulueriz. an. ℨ. ij. abluaturque semel in aceto, & relinquatur 24. horis, deinde ℞. vini dulcissimi ℔ x. infundatur, ac exponatur ad solem vel ignem 8. diebus frequenter agitando, benedicetur mox, ac mane propinabitur dosis ℥. vij. pro vice desuper ambulando.

Vel ℞. Dicti chalybis ℥. ij thuris, mirrhæ, cort. rad. cappar. tamarisci valerianæ, sabinæ, semin. peoniæ, rutæ, pul. Diarrhod. Abb. an. ℨ. j. cum succo brioniæ f. trochisci dosis. ℨ. iv. mane. Valet præcipuè in magicis morbis, lienis, schirro, cunctis hypochondriorum obstructionibus, colicis, nephriticisque affectibus, causam ducentibus à crassis humoribus.

CAPVT III.

De medicamentis alterantibus & alexipharmacis, & primò de vnguentis.

ALterantibus & alexipharmacis etiam vti licet, externis vel internis, interna aliqua sunt paulò ante cap. antecedente

dente recensita , vt herba paris , aristolochia rotunda , longa, hypericon , &c.

Externa sunt, vnguenta , & suffumigia , & balnea : Inter vnguenta Sennertus tom. 3. lib. 6. p. 9. cap. 9. commendat, quod fit ex visco coluro , & ait expertum in puella quadam maleficio affecta feliciter successisse. Hoc autem sic præparatur.

℞. Adypis canis ℥. iv. vrsi ℥. viij. caponis ℥. xxiv. visci coluri adhuc virentis truncos iij. frustatim sectos ac tusos, donec humescant , contunde simul lignum , folia , baccas , misce omnia in phiala , quam soli expones ix. hebdomadis , & virentem balsamum extrahes , quo veneficio affectorum corpora , & loca maximè dolentia , & iuncturæ inungantur, certo experimento æger sanatur.

Mesues celebrat oleum de Gagate , sic præparatur oleum de verbena , de bacchare , de hyperico , de iua , de ruta , de abrotano , de lauro , de absinthio , de chelidonio , vel horum extracta , ac quintas essentias , vel simpliciter vel vnitim,

In affectionibus frigidis & flatuosis , murmurationibusque, ℞. Olei hyperici , rutæ , lauri , an. ℥. j. olei magni Ducis, quintæ essentiæ absinthij , roris marini , an. ʒ. j. balsami guttas iij. m. pro linimento diuitibus.

Vel ℞. fol. iuæ , palmæ benedictæ, aneti, lauri, verbenæ, hyperici , an. p. 1. rad. gentianæ , dictamni , valerianæ , manuschristi , aristolochiæ rot. angelicæ odor. an. ʒ. j. contunde contundenda , & puluerisa puluerisanda ac decoquantur in oleo communi ; & parum aquæ lustralis , & stillatitij vini , deinde colentur addendo thuris , stiracis cal. Theriacæ an. ʒ. j. mitridati ʒ. ß. nucis moscatæ garyophl. cinam. an. ʒ. ß. ligni aloes. ʒ. ß. ambræ , moschi, an. g. ij. adhibeatur externe , & internè ad ʒ. j. vel j. ß.

Vel ℞. Horum ingredientium sic puluerizatorum, & contusorum quantitatem dictam , macera per dies x. in ℥. iv. aquæ vitæ optimæ , & ℥. ß. aquæ benedictæ in vase vitreo posita intra fimum equinum; postea exprime , ac seruetur pro vnctione , qua facta prius solita benedictione, vngantur omnes & singulæ partes affectæ , quibus , prout est intentio Medici applicari potest emplastri forma immiscendo picem , terebintum intus assumendo dosis est ʒ. vj. vel. ℥. j.

In calidis affectionibus ℞. Olei ros. amigd. dulc. hyperici, verbenæ

verbenæ an. ℥. j. m. Vel ℞. Vnguenti rosſ. vnguenti populeon. an. ℥. j. pul. diamarg. frigidi, thuris, palmæ benedictæ an. ʒ. ß. m.

In parte affecta vt in capite, in iuncturis, pectore, ſthomaco, hypochondriis, renibus, eſt magni auxilij ſuperponere hoc emplaſtrum. ℞. Hellebori nigri infuſi per noctem in vino, & exiccati. ℥. ß. ſeminis aniſi, feniculi, peoniæ, rutæ, carui, hyperici, vrticæ, thuris, mirrhæ coral. rub. roſ. artemiſiæ, roriſmarini, laudani, an. ʒ. j. gummi ſerapini, bdellij, elmi an. ℥. ß. diſſoluantur hæc in aqua luſtrali, cætera puluerizentur, & cum pice, & terebentino f. emplaſtrum.

CAPVT IV.

De ſuffimentis.

SVffimentis vſi ſunt Antiqui & recentiores Medici paratis ex lauro, ruta, hyperico, ſaluia, roremarino, roſis, ligno aloes, aſphal. corticibus citri, thure, maſt. ſtyrace, magnete, ladano, moſcho, ſulphure, quæ cor & cerebrum roborant, & malignos humores frigidoſque diſcutiunt, contundantur craſſo modo, & benedictæ proiiciantur in ignem benedictum pro ſuffimento.

CAPVT V.

De Balneis.

BAlnea vtrumque faciunt, id eſt, cor & cerebrum roborant, & malignos humores frigidoſque diſcutiunt, inſenſibiliter euacuando, & alterando, in quibus coquuntur ruta, hypericum, artemiſia, verbena, palmachriſti & alia ſuprà deſcripta.

In affectionibus calidis extollitur aqua dulcis fluminis, in qua ſint decoctæ nymphææ, tuſſilagines, ſalices, roſæ, mir-

tus, acetosæ, borragines, lactucæ, cichoreæ, iusquiami, hyperici, verbenæ, huius enim decocti lauacrum peculiari virtute ad curandos hos morbos præditum est.

In frigidis affectionibus miscendum est vel sal, vel nitrum, vt in capitis, thoracis fluxionibus, in humido stomacho, hydropicis, ac laxis tumoribus, tum sulphur cùm indigemus lenire dolores, neruosque emollire, & calefacere; tum ferrum, dum curanda est lienis, ventriculi, mesenterij opilatio; nec vnquam prætermittenda est miscella stirpium à proprietate propugnantium hosce morbos, partibusque affectis conducentium, quales enumerauimus cap.3. huius libri; præmissa tamen eius benedictione, quod de omnibus remediis obseruandum est.

Multi ad balneandum vsi sunt vrina humana tanquam magis vim habente abstergendi, exsiccandi, ac penetrandi.

Nocent balnea impuris corporibus, & cacochymis; vnde 1. aph.42. Gale. docet balnea non prodesse, nisi euacuatis prius, & concoctis humoribus noxiis: Tum ante balneum præcedat exercitium si temperatum possibile sit, vel fricatio, & fiat ante cibum post fæcum euacuationem, hora præcipuè vespertina. Alex. lib.2. cap. proprio, locus debet esse calidus, neque nimis immorandum est, cùm substantiam nostram dissoluant, animique deliquia excitent, tempus sit, quantum æger ferre valeat.

CAPVT VI.

De curatione circa dæmones incubos & succubos.

Triplex est genus incuborum. 1. earum mulierum, quæ se voluntariè dæmonibus incubis subiiciunt, vt sunt maleficæ (quia de succubis quoad viros non ita voluntariè practicatio reperitur) harum historiæ videri possunt apud Incognitum pag. 197. 198. 199. 200. & Malleum p. 2. q. 1. à c.4. vbi habetur quod actus illos venereos exercent frequentius diebus festiuis solemnioribus (sicut etiam maleficia) 1. vt grauius, ac sacrilegum committatur peccatum, pœnaque grauior ab ipsomet exigatur. 2. vt ob patrata grauiora peccata

Deus faciliùs permittat dæmoni operari ad hominum ruinas etiam innocentium. 3. vt maiori opportunitate plures præcipitari faciant, præcipuè iuuenculas, quæ festiuis diebus otio & curiositatibus magis incumbunt. 4. in contemptum nostræ Religionis. Merlinum fuisse genitum ex dæmone falsum est, vt diximus in præludio c.6. n.9.

2. Genus incuborum est eorum, qui à maleficis cum incubis aut succubis contra eorum voluntatem inuoluuntur, & copulantur. 3. Est earum mulierum, quæ contra omnino eorum voluntatem ab incubis dæmonibus molestantur, de quibus etiam præsumitur, quòd à maleficis sic maleficiantur: puta quia Dæmones ad instantiam maleficarum, sicut sæpissimè alios morbos inducere solent, ita & incubos illis personis sese intrudunt.

Cura huius maleficij consistit in diæta 7. peccatorum mortalium, purgatione, quæ fit necessariò sacræ pœnitentiæ catartico, sanctáque Domini corporis communione, oratione, ieiuniis, exorcismis, locique mutatione, sæpè crucis signaculo, aspersioneque aquæ lustralis, recitatione Dominicæ orationis, Angelicæque salutationis, salue Regina, versiculi Psalmistæ *Confige Domine timore tuo carnes meas*, Orationis S. Susannæ Daniel. 13. *Ingemuit Susanna*, &c. & ps. 31. *In te speraui*, &c. Abrenuntio tibi sathan, & coniungor Christo Iesu. Legitur in vita S. Bernardi mulierem fuisse liberatam ab incubo medio exorcismo. Cæsarius in dialogo suo affirmat aliam fuisse liberatam domicilij mutatione, aliam recitatione ps. *Benedicite*, &c. aliam crucis signaculo, aquæ lustralis aspersione, & Angelica salutatione.

CAPVT VII.

De curatione impotentiæ ex maleficio.

GAspar Br. consult. 8. p. 6. §. 5. putat impotentiæ ex maleficio curationi nec semper aditum liberum, nec omnino impossibilem. Nam contingit Amasi Regi Ægyptiorum, qui non potuit concumbere cum Ladice vxore sua, licèt aliis mulieribus vteretur; donec vxor statuam Veneri Cirenas

misit, vt legitur apud Herod. lib.2. quod contigit & Theodorico Regi, qui Iustam vxorem filiam Regis Hispaniæ integram ad Patrem remisit, vt scribit Paulus Æmilius lib. 1. hist. Franc. in Clodou.2. Prierisus & Codronchus referunt quemdam Comitem in Argentensi ditione per triennium ligatum, & cum vxore impeditum, liberatum fuisse, instrumentis veneficis dissolutis: cui Ghirlandus in r. de sortileg. & Incognitus pag. mihi 129. 174. 188. 189. 190. 191. 393. similes narrat euentus. Hucherus proponit plura, quæ amatoria philtra valent auertere, & coniugum mutuum amorem reuocare. Cleopatra laudat fel ceruinum oleo sesamino mixtum, vt corpus inungatur totum. Isac consulit suffumigium ex felle alicuius piscis, ignitis carbonibus, posito quod fiat, dum coniuges sunt ituri ad somnum. Nicolaus commendat theriacam exhibitam cum succo hyperici. Plinius hypericum supra renes positum laudat, vel abrotanum cum vino illitum, & sumptum cum melle; cerebrum corniculæ viuæ captæ, & necatæ, melle permixtum, & pudendo applicatum dicitur prodesse, vel oua eius fracta, & simili modo apposita: stercus damarum cum oleo tepido dissolutum, vel fel apri, lupi, aut hirci cum oleo mixtum & applicatum: vel cor hirundinis vstum, & ex vino exhibitum. Sennertus lib.6. c.7. tenuens superstitiosas plures Centilium curationes (in quibus nedum frustratio remediorum timenda, sed peccati periculum ob commercium cum dæmone, & ideo 4. Regum cap.1. Rex Ozias consulens dæmonem, habuit à Deo sententiam mortis) inter ea, quæ prosunt occulta vi adducit rhamnum, lignum palmæ, leontopodij radicem, corium frontis hienæ, betonicam, quam & præseruare & curare maleficium iudicat.

Cum causa huius impotentiæ sit Dæmon, qui diuersis modis hoc peragit, scilicèt vel excitando in vno odium, ac fastidium in alterum coniugem, & deformem, & infestum esse suadendo; vel se interponendo assumpto corpore; vel spirituum motiuorum emissionem impediendo; vel coëundi voluntatem diuertendo; vel seminis generationem prohibendo, dum semen exsiccat, eiusque interdicit infusionem: Paritérque in mulieribus illud agit, dum aliquam præter naturam affectionem genitalibus inducit, vt virum admittere non possint; vel muliebria vasa obserando coarctandoque, vel seminis

nis emissionem solo extremo tactu ante accessum ad vasa muliebria excitando: Ideò diuina prius curatione vtendum, ac viua fide in Deum ambo muniantur sacramentis S. Ecclesiæ, elemosynis,&c.positis cap.antecedenti, recitent officium B.V. Angeli custodis, D. N. I. Christi, Litanias, ps. *Qui habitat*, &c. *Miserere mei*, &c.ps.140 *Libera me Domine ab homine malo*, &c. & ps.83. *Deus ne taceas, neque compescaris*, &c. & ps.20. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis*, &c. *In principio erat Verbum*, &c. & ps. 37. *Noli æmulari in malignantibus*, &c. cap. penult. Apoc. cum orationibus ponendis lib.vlt.c.19. ferant pomum infra compositum, sacraque amuleta lib.3.c.7. & adhibeant omnia alia medica instrumenta, quæ sunt in hoc libello.

Sponsus verò & sponsa his peractis vtantur ante cœnam & prandium præmissa benedictione ℥. j. huius elect. ℞. Pistachiorum, pineorum, satyrionis, palmæ Christi, fœnugræci an. ℥. j. radicis eringij, brioniæ an. ʒ.ij. pul. arthemisiæ, betonicæ, hyperici, granorum paradisi, neperæ, cinamomi, cariophyl. macis an.ʒ.j. galangæ, zedoariæ an. ℈.ß. puluerizentur omnia, & cum melle desp. fiat confectio aromatizanda cum mosco. Item theriacæ, diamoschi, diasatyr. an. ʒ.j. cum ℥. j. decoctionis hyperici bibatur, quòd si addas ʒ. ß. pulueris virgæ Tauri vigorosiùs operatur. Item. ℞. Olei de lilio,castoreo an.℥.ß. nucis moscatæ, euphorbij an.℈.j. moschi, ambræ an. gr. iij. m. vngantur renes & virga, & peritoneum ante cœnam. Commendatur fel coruinum cum balsamo, & confert etiam hoc oleum senibus & frigidis ℞. priapi tauri, erucæ, piperis, cariophyl. testiculorum vulpis, cinam. cardamo. an. ℥.ß.Racch. albi ℥.ß.f. puluis dosis. ʒ.ij. cum vino.

Pro præseruatione ab hoc & à quolibet magicò morbo. ℞. Herbarum vel lapidum, quæ descripta sunt cap. 3. huius lib. an. p. æquales,hæc omnia præmissa benedictione componuntur simul secundùm artem, atque cum gummis dissol. in aqua ros. & argentum viuum vt possit vniri cum stamno liquefacto, formentur pilæ, addendo balzami, stiracis, muschi, zibetri, ambræ odor. ligni aloes, sandalorum, ad libitum, imprimaturque effigies Archangeli Michaelis, vel Angeli custodis, vel S. Antonij, vel Patroni energumeni.

Quandoque prosunt stratagemata, quæ adhibuit Comes quidam

quidam apud Sprengerum quæst. 1. cap. 1.

Maleficiatis coniugibus triennium ad copulam experiendam assignatum c. laudabilem 5. & c. finali de frigidis & malef. non incipit à die intentatæ copulæ (vt ait Sanchez de matr. lib. 7. disp. 110. n. 4. 5.) Sed à die decreti Iudicis. Ita Rota Rom. post consilium Farinac. decis. 192. n. 6. p. 2. At quando ante decretum Iudicis, aut antequam aliquis ex coniugibus reclamauerit, iam transactum est triennium, aut plus; Iudex tunc habet arbitrium minuendi dictum triennium iuxta circunstantias. Rota Rom. post Farinac. p. 2. decis. 226. n. 1.

LIBER III.

De Curatione Diuina.

HÆc curatio cæteris tutior animæ semper prodest, corpori nunquam nocet; imò sæpè à morbis etiam naturalibus liberat, ac sine medicis auxiliis persanare apta est: Physica verò per se magnos morbos caussatos, præcipuè sine actiuitate passiuorum rarò curare valet. Et dignum est animaduersione, quòd inuidi Dæmones, ne sanatio tribuatur diuinæ virtuti, meritisque Sanctorum, adimendi causa animi pietatem, seminandique spe aliquid superstitionis ipsimet se expelli à solis rebus determinatis naturalibus, callidè simulant. Physica igitur semper cùm diuina vnienda, nec ab huius imperio discedere: sic enim multos è periculis exemit, & aliquo pacto appellanda erit instrumentum causæ efficientis, quæ est sacra curatio. Siquidem si volumus per curatiuas indicationes discurrere, causa principalis maleficij est substantia spiritualis dæmoniaca: ergo rebus etiam spiritualibus sacris per contraria est oppugnanda; eo vel maximè quod Dæmon potest propria virtute maleficiato nocere, & morbos excitare: & in hoc casu modicam vtilitatem afferunt pura naturalia, nisi Deus velit his vti tanquam instrumentis

ſtrumentis ſuæ diuinæ iuſtitiæ, & hic militat doctrina Matth. 27. *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur, niſi ieiunio, & oratione.* Sicut primus & præcipuus ſcopus in omni morbo eſt exacta victus ratio, quæ conſiſtit in ſex rebus non naturalibus, ex Gal. de remed. parat. facil. 10. ita in ægritudine venefica principatum obtinet ipſa diæta ſpiritualis, quæ conſiſtit in abſtinentia à ſeptem peccatis mortalibus; & obſeruantia præceptorum Dei. Et ſic anima mortalium repletione grauata generaliter & particulariter neceſſario ſacræ penitentiæ cathartico purgabitur. Multa ſunt exempla in libris miraculorum, & ſanctorum. Io. Diaconus in cap. 8. Lucæ tria refert eorum, qui à dæmone poſſeſſi, mox vt peccatum D. Gregorio confeſſi, pœna peccati ſe liberatos ſenſére. Idem aſſerit Petrus Cluniacenſis lib. 1. vitæ D. Gregorij cap. 11. Gaſpar Brauo p. 6. conſult. 8. §. 5. ex Iſac.

CAPVT I.

De Fide.

SVper omnia oportet habere fidem, de qua legitur, quod Dominus Ieſus, in patria ſua, niſi paucos curauit infirmos, & non poterat ibi aliquid virtutis operari ob incredulitatem eorum. Quod & Marci 6. Matth. 17. & Luc. 9. oſtenditur de dæmone, hominem ſurdum, mutum & lunaticum reddente, quem diſcipuli expellere non potuerunt ob vexati incredulitatem. Quare V. Beda ait quod *Impoſſibilitas curandi, non ad imbecillitatem curantium, ſed ad eorum, qui curandi ſunt fidem referatur.* Idem colligitur ex verbis Domini, qui in omnibus curationibus dicebat, *credis? Fiat tibi ſicut credidiſti; fides tua te ſaluam fecit: magna eſt fides tua, ſi habueritis tantam fidem, quantum granum ſinapis, dicetis monti huic tranſi hinc illuc, & tranſibit.* Matth. & Lucæ 17. & Paulus ad Teſſal. 1. 5. ſubdit *ſuper omnia aſſumpto ſcuto fidei, quo poſſitis omnia iacula mali illius ignita extinguere,* &c. Sic Cypriano Mago dæmon dixit ſe Chriſti fide munitis nocere non poſſe. Et Petrus admonet *cui reſiſtite ſolidi in fide.* Exempla habentur apud Paulinum in vita D. Ambroſij, Boſium

sium l.11. de Ecclesiæ notis cap.1. ver. 5. & Niderium in epist.formicarij cap.4.

CAPVT II.

De sacrosancta Eucharistia & Baptismi susceptione.

Timotheus Alexandrinus in suis responsis cap.3. ait *obsessos communicandos esse non singulis diebus, sed statis temporibus.* Et sic conatus fuit Andronicus & alij, teste Cassiano col.7.c.30. & quamuis Dionysius c.3. Hierarch. Eccle. dicat: *energumenis non dandum esse hoc Sacramentum*, intelligendus est loqui de non baptizatis ex D. Th.3. p.q.80.ar.9.

Sic illud, quod in canone 39. Concilij Elebertini legitur: *energumenis, qui ab erratico spiritu exagitatur, nec nomen quidem ad altare cum oblatione esse recitandū*: intelligitur de illis qui ob peccata publica, publicè quoque à dæmone molestantur, & à S. Ecclesia excommunicantur, sicut ille qui à D. Paulo 1. Cor.5. fuit excommunicatus, & traditus dæmoni: *Iudicaui tradere huiusmodi sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat in die Domini.*

Idem confirmat Vairus lib 3. de fasc. vl. *Christi námque*, ait, *corpus à deuota anima sumptum, conscientiam exhilarat, animæ vires reparat, hominem meritorum Christi participem facit, deuotionem excitat, fidem illuminat, spem roborat, charitatem inflammat, affectus regit, præterita peccata delet, contra futura armat, dæmonum fraudes, ac fascinationem penitús auertit, magicósque morbos.*

Nec obstat Apostolum dicentem: *probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Hoc autem energumeni facere non possunt, cum vsu rationis careant. Nam Respondeo cum D.Th. suprà distinguente de fatuis, aliqui dicuntur semifatui, qui aliquem, sed debilem rationis vsum nacti sunt, & quia tales possunt aliquam deuotionem concipere huius sacramenti, est eis impertiendum. Alij fatui sunt à natiuitate, & sic talibus nunquam prorsus impertiendum est; quia in eis

eis nullo modo præcessit huius sacramenti deuotio : aut sui compotes aliquando fuerunt , & tunc si apparuit in eis huius sacramenti deuotio , impertiendum est in articulo mortis, nisi fortè timeretur periculum vomitus , vel expuitionis. Sic dicendum est de obsessis.

Sunt innumerabilia exempla in prato florido lib.5.c.20. & seq. & in Ximenez lib.23. exhor.9.§.2.

D. Bernardus , vt habetur lib. 2. eius vitæ c.2 quemdam liberauit obsessum , positâ super caput eius Eucharistiâ. Sic D. Ambrosius teste Vuichelmo Abbate. Sic quoque S. Stephanus Presbiter fugauit dæmonem. Simile refert Io. Molinetus in chronicis Belgicis anni 1490. Sed hoc iam prohibet Rituale Rom. ob irreuerentiæ periculum.

De susceptione Baptismi agunt Sorus in 4. dist.3. q.2.ar.9. Io. Villaneus lib.8. cap.35. & asserunt esse antidotum tutissimum.

Huic etiam accedit, vt frequentetur Missæ sacrificium, vti historias narrat S. Cyprianus in ser. de Lapsis. D. Augustinus lib.22. de Ciui. c.8. Beda super 8. cap. Lucæ , Picus Mirand. lib. de strigibus.

CAPVT III.

De ieiunio , eleemosyna, & oratione.

ADmodum hæc tria iuuare in his , & in omnibus morbis probant d. c. sortiarias, Matth. 17. Marci 9. & quamplures Sancti & Sanctæ in eorum vitis,& miraculis : quæ omnia, efficaciora sunt si ipsimet obsessi exerceant , & maximè si consocios habeant alios Dei seruos.

Sed si quæris quid orandum? Respondeo sicut dictum est lib. antecedente cap.8.

CAPVT IV.

De aspersione aquæ benedictæ, & signaculo Crucis.

MVltos etiam persanauit aspersio aquæ benedictæ cum signo crucis : ita vt extent millenæ historiæ apud Surium ; & S. Eligius Nouionensis Episcopus 50. amplius energumenos simul porrecta eis aqua benedicta liberauit, vt refert æqualis eius S. Audœraus in eius vita. S. Barbatus, dum nucem magam beneuentanam concomitantibus omnibus suis Ecclesiasticis, conciuium sæcularium copia radicitùs euelli curasset serpentem in radice inuentum terrorem cunctis eiaculantem, ipse benedictæ aquæ aspersione crucis signaculo abegit, teste Piperno lib. 5. cap. 7. Idem narrat de Moguntia Sigisbertus an. 858. Crucius in vita Ludouici ij. Imperatoris, Epiphanius hæresi 30. Theodoretus lib. 5. cap. 21. S. Augustinus hom. 27. & 50. ser. 19. de Sanctis, & lib. 6. in Iulianum cap. 8. Beda in hist. Angl. lib. 1. c. 7. Palladius de S. Machario ait fecisse, vt fæmina in equam transformata, aqua benedicta, quod erat, omnibus videntibus fæmina videretur. Gregorius Presbiter in vita B. Theodori Archimandritæ ait noxas omnes aqua benedicta solebat repellere.

De signaculo crucis sunt quamplures animæ & corporis sanationes à morbis, & à dæmonibus. Hoc signo Macharius Patriarcha Antiochenus in Bauaria morbos curauit. Mechliniæ incendium extinxit, Tornaci seditionem compescuit, vt tradidit Anonymus in eius vita. Theodorus Archimandrita veneficium Theodori Magi vitauit, feras cicures reddidit, sæpe dæmones expulit, solitas frugum calamitates auertit, & nequam spiritus certis locis includebat, & signo crucis locum obsignabat ne cui nocere possent. Incendium sæuissimum, quod Rhemis diabolus excitarat S. Remigius signo crucis extinxit, habet id Hincmarus in eius vita. Testatur Theodoretus per Iulianum, & Martianum martyres ingentes Dracones signo crucis mactatos esse. Sanctos item Aphraatem, & Macedonium Petrum, & alios plurimos eodem signo varias ægritudines sanasse. Experti sunt eiusdem signi vim planè diuinam in depulsione dæmonum, & profligatione magicorum operum.

rum. D. Bernardus apud Surium tom. 4. S. Catharina Senensis, vt ait D. Raymundus apud eumdem Surium to. 4. S. Margarita teste Metaphraste, D. Calupanus teste D. Gregorio Turonensi apud Surium tom. 2. S. Maximus Regiensis teste Dinamio Patricio apud Surium in Nouembri. S. Antonius vt D. Athanasius in eius vita docet, S. Hieronymus epist. 27. ad Eustochium de S. Paula asserit: *Et cum os, stomachumque signaret & matris dolorem, crucis niteretur impressione lenire: superabatur affectu.* D. Augustinus de ciui. lib. 22. cap. 8. inquit, *signum crucis Innocentiam sanatam fuisse à cancro in mammilla.* Expertus S. Eligius Nouiomensis, qui vt refert S. Audoënus eius æqualis lib. 2. vitæ eiusdem cap. 16. docebat suos: *Christiano nec auguria,* nec alia quælibet figmenta possunt officere, quia vbi signum crucis cum timore, & fide Dei præcesserit, nihil ibi inimicus nocere poterit. Expertus D. Gregorij Neocæsariensis Diaconus ille, qui crucis signo vallatus exiuit noctu incolumis ex balneis inter innumerabilia spectra, ex quibus nemo eorum, qui noctu intrasset, vnquam viuus exiuerat, vt scribit Gregorius Nissenus in vita Neocæsariensis, in opusculis S. Francisci tom. 3. colloquio. 30. legitur Fratrem quemdam, Angelum nomine, malos Angelos valdè timuisse, & socium nocturnum à S. Patre petiisse, qui secum in cellula dormiret. Cui S. Pater: eia timide quid imbecilles & infirmos hostes vereris, quorum vires & potestatem penes Deum esse optimè nosti? Quod vt experiaris iubeo, vt munitus signo crucis montis huius vicini Altiora cacumina ascendas solus hac noctè, & alta voce dicas: superbi dæmones omnes venite ad me modo, & quidquid poteritis, mihi facite, & in me vestrum exercete furorem. Quod vt ille humiliter fecit, nec vllus dæmon accessit, omnemque deinceps depulit metum. Legen. antiq. Pisan. l. 1. Conf. 8. in vita B. Angeli. Quid quod vel homines à Christiana Religione alieni huiusce vim signi manifesto sæpè experti sunt? Iulianus enim Imperator cùm aliquando Dæmones magicè euocasset, & sibi illos machinari necem videret, pro Christianorum consuetudine ipse abiuratus Christianus se cruce aduersus ipsos muniens conseruatus est, sicut oratione in eundem scribit Nazianzenus. Simile litteris commendauit S. Gregorius lib. 3. Dialog. cap. 3. de quodam Hebræo, qui se crucis signo contra dæmonum impetus tutum reddidit, &

F fatentur

fatentur hoc dæmones expulsi, à S. Petapio, vt est apud Metaphrastem clamantes: Verè terribilis es, O Nazarene, verè terribilis es, & vbique in omnes obtines imperium. Quò ergo proficiscar? S. in desertum, si in Ciuitatem, si vbicumque duxerit aliquis, tu illuc præuenis sola crucis figura, solo tuo nomine nos expellens. S. Franciscus salesius benedictione datâ, aperire os iussit, & oculos, & hoc modo plusquam octoginta homines à dæmonum vexatione liberauit; neque enim Angelo lucis Angeli tenebrarum obstare possunt, eius Nepos in eius vita lib. 6. fol. mihi 283.

CAPVT V.

De oleo benedicto.

Oleo non solemniter, sed obiter, vt se res offerebat, benedicto felicissimè ad sanitates impertiendas, & exterminanda dæmonia vsos legimus quamplures. Hoc salutari remedio grauissimos morbos S. Laumomarus abigebat, apud Surium 19. Ianuarij. Eucheria vxor Agapij veneficio attentata cum roderentur intestina, adlata est ad S. Parthenium, qui triduo orans, & oleo Sanctorum ei propinato sanam remisit, apud Metaphrastem 7. Februarij. Erat hoc ordinarium B. Auxentij Archimandritæ contra dæmonis obsidiones, morbosque ab eo illatos remedium, isto etiam hydropico, cæcóque sanitatem restituit S. Euthychius Patriarcha apud Eust. in eius vita, & contra virulentos morsus S. Paternus, hoc S. Theodosius brucos pellebat. Idem legitur de D. Hilarione apud D. Hieronymum; de D. Martino, apud Seuerum Sulpitium, in ipsorum vitis; de Monacis Ægypti, apud Rufinum lib. 2. cap. 4. de S. Vuinnualoco Abbate apud Surium S. Martij; de S. Theodoro Cænobiarcha, apud Metaphrastem in eius vita. Alia vide in D. Gregorij dialogis, & in Tilm. Brendebrachio, ac in Io. Molineto anno 1490.

Benedictio Olei.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

℣. Adiutorium

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Oleum effusum.
℟. Nomen tuum.
℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.
℟. Et salutare tuum da nobis.
℣. Adiuua nos Deus salutaris noster.
℟. Et propter gloriam nominis tui libera nos.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Fiat misericordia tua super nos.
℟. Quemadmodum sperauimus in te.
℣. Domine exaudi Orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Exorcismus.

EXorcizo te creatura olei per Deum viuum, † per Deum verum, † per Deum sanctum, † per Deum trinum & vnum, qui te Reges suos inungi mandauit, vt benedicaris † adeò vt extinguatur in te virtus Diaboli, & transeas in vnctionem spiritalem ad omnia maleficia destruenda, ad omne opus diaboli eradicandum, & ad omne phantasma cuiuscunque aduersarij fugiendum, & quicunque ex te vnctus fuerit, sit ignis destruens omnia maleficia, sit terribile aduersus omne opus diaboli propugnaculum, sit gloriosus omnium phantasmatum nocentium victor, & sanitatem perfectam in vtroque homine adipiscatur. Per eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Oratio.

MIserertor Domine Deus omnipotens, qui oleum vnctionis sanctæ super caput Aaron serui tui fundi mandasti, respice propitius ad preces humilitatis nostræ, & in hanc creaturam olei virtutem tuæ gratiæ † benedictionis † & san-

ctificationis infunde, vt sicut ex oliuæ ligno producto in vsum humani generis cadit, ita à te plenitudine tuæ sanctificationis resperso, sit tormentum diaboli, sit omnium operum sathanæ destructio, atque omnium maleficiorum, facturarum, & incantationum exterminatio, vt quicunque ex eo vnctus fuerit, efficiatur malignis spiritibus vas tremendum, virtute diuina repletum, ad euertendas omnes iniquas machinationes visibilis, & inuisibilis hostis, & ad malas facturas quomodocunque factas destructiua propulsatio, vt sanitatem mentis, & corporis te largiente benignè suscipiat. Per te Dominum nostrum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta super oleum in modum crucis.

Alia benedictio olei descripti in cap. libri antecedentis.
℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.

Exorcismus.

EXorcizo vos omnia aromata, herbas, radices, semina, lapides, gumma, & quæcunque paraui ad componendum oleum, per Deum † Patrem, Per Deum † Filium, per Deum Spiritum † sanctum, per Deum † trinum & vnum; per sanctam & indiuiduam Trinitatem: vt à vobis effugiat, atque discedat immundissimus spiritus, omnis incursio sathanæ, omnis fraus inimici, & omnis nequitia diaboli, vt mixta cum oleo liberare valeatis quoscunque ab omnibus infirmitatibus, ab incantationibus, ligaturis, facturis, maleficiis; ab omni diabolica fraude, arte, & potestate, per merita Domini N. I. Christi, dilectissimæque Virginis Mariæ, ac omnium Sanctorum. Amen.

Oratio.

DEus sanctificationum, qui es infinita pietas, qui cælestia, & terrena simul moderaris, exaudi quæsumus Domine preces seruorum tuorum, & copiosa tua benedictio descendat in hoc oleum in honorem nominis tui, &

victoriosæ

victoriosæ † crucis tuæ, & in honorem Sanctorum omnium, & sanctarum totius cælestis curiæ.

Tu ô Clementissime Pater sanctifica † & misseretor, illustra,† proprio splendore clarifica † vt quæcumque pius sacerdos vnxerit hoc oleo, perfectè sanare valeat, & ab omnibus maleficiis; facturis, diabolicis fraudibus, dæmonibusque liberare propter nomen tuum sanctum, victricem manum, & brachium excelsum. Tu Domine libera quoscunque per manus sacerdotis vnctos hoc oleo ab omnibus infirmitatibus, maleficiis, incantationibus, signaturis, facturis, & ab omni opere sathanæ, & ab omnibus periculis mentis & corporis liberati, per tuam piissimam clementiam, & misericordiam in tua gratia lætantes, in cælis semper post mortem exultent: Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, &c.

Modus vngendi ægrotos per sacerdotem.

Oret prius.

Exaudi nos omnipotens æterne Deus pro famulo tuo N. Quem modo in nomine tuo oleo benedicto sum peruncturus, & intercedente gloriosa V.M. Petro & Paulo, ac omnibus Sanctis præsta, vt huius olei benedicti virtutem sentire valeat, atque ab omnibus mentis, & corporis malis, & præsertim à febre quartana, continua, tertianis, aliisque morbis, maleficiis, facturis, ligaturis, incantationibus, infestatione Dæmonum perfectè liberetur. Per Christum, &c.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Adiuua nos Deus salutaris noster.
℟. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos.
℣. Saluum fac seruum tuum. N.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto illi Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Fiat misericordia super famulum tuum N.
℟. Quemadmodum sperauimus in te.

His dictis sacerdos extremum pollicem tingat oleo benedicto, & vngat frontem, tempora, oculos, aures, guttur, pectus, cor, & vmbilicum (si fuerit vir) *sub pedibus, exprimendo pollice signum* † *interim dicat.*

Per istam benedictam vnctionem, & suam piissimam misericordiam liberet te N. Deus à febribus, &c. Atque ab omnibus malis mentis, & corporis, ab omnibus incantationibus, ligaturis, maleficiis, signaturis, & facturis, tibi arte diabolica factis, in nomine Patris † &c.

Hæc vnctio per istud signum sanctæ crucis † & per oleum † sanctificatum, & per donum sancti † spiritus liberet te à malo, & fiat tibi ad sanitatem, & sempiternam salutem. Amen.

Dum innungitur infirmus Astantes orent, & dicant Litanias.

CAPVT VI.

De vsu panis benedicti.

VSus est pane benedicto in curandis morbis D.Hilarion, vt ait D.Hieronimus; Vsus B.Elphegus Cantuariensis, vt scribit Osbernus in eius vita: S.Vuolphelmus Abbas, vt refert Conradus eius discipulus in ipsius vita, & B. Hildegardis, vt in eius vita Theodoricus Abbas lib.3.cap.9. & S.Marcellus Abbas, vt narrat mense Decembri Metaphrastes. S. Franciscus De Paula, auctore Sanseuerino nostro lib.3.c.14.

Benedictio Panis pro infirmis.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus

Oremus.

DOmine Deus omnipotens, descendat bene † dictio Patris † & Filij † & spiritus † sancti super hanc creaturam panis, vt quicunque ex ea sumpserit, accipiat sanitatem mentis, protectionem corporis, tutelam salutis, integritatem charitatis, consolationem spei, roborationem fidei, virtutem constantiæ, & visitationem Spiritus sancti. Per eundem Dominum nostrum, in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta.

Benedictio Panis, vini, aquæ & cæterorum commestibilium & potabilium.

℣. Adiutorium nostrum, &c.

℞. Vt suprà.

Oremus.

DOmine Iesu Christe, qui panis Angelorum, & panis viuus æternæ vitæ diceris, qui ex quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum in deserto satiasti, & qui panem ipsum, & vinum in tui sanctissimi Corporis substantiam in vltima cœna conuertisti, idque in Ecclesia in tui commemorationem perpetuo fieri præcepisti; tuque benignissime Iesu, qui conuertisti aquam in vinum in Cana Galileæ, benedicere, † exorcizare, † & sanctificare † pro tua pietate digneris hanc materiam panis, vini, & aquæ, & cætera N. vt sit remedium efficax contra potestatem omnium inimicorum, contra omnes facturas, ligationes, incantationes, illusiones, versutias, ac omnia Diaboli, & eius ministrorum maleficia; vt quicunque hanc gustauerint, deuotéque sumpserint, perfectam salutem, mentis, & corporis consequantur. Rogamus item te mortis triumphatorem, & humani generis conditorem simul, & redemptorem, vt purificando † purifices; benedicendo, † benedicas; & sanctificando, † sanctifices hanc panis, vini, aquæ, &c. materiam in honorem gloriosissimæ V. M. omniumque Sanctorum, & Sanctarum, vt omninò destruat omnem potestatem inimici, & ipsum per tuam po-

tentiam fugare valeat. Descendat, quæso, super hanc materiam perfecta plenitudo omnium tuarum benedictionun, & per nostræ humilitatis famulatum in honorem victoriosissimi nominis tui purificare, † saluberrimum reddere, † exorcizare, † benedicere, † & sanctificare † digneris; vt omnibus sumentibus fit perfecta purgatio, fuga, extirpatio, destructio, & exterminatio maleficiorum omnium, & diabolcarum fraudum; & tandem mentis, & corporis optata salus, & protectio; tutela salutis; integritas charitatis; consolatio spei; roboratio fidei; virtus constantiæ, & visitatio Spiritus sancti; per te Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuis, & regnas in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta in modum crucis.

Benedictio Medicaminum.

℣. Adiutorium nostrum, &c.
℟. Vt supra.

Exorcismus.

EXorcizo te medicæ compositionis materia per Dominum Deum Creatorem virtutis tuæ, qui per sanctum, Angelum suum Tobiæ seruo suo piscem exenterare præcepit, & cor eius, & fel, & iecur recondi, cum essent necessaria ad medicamenta vtiliter vt virtutem tuam naturalem retineas, & supernaturalem recipias, ad omnem virtutem diabolicæ fraudis, & impetus coërcendos non nostris poscentibus meritis, sed eiusdem Dei virtute occurrente, & passione filij eius intercedente, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Amen.

Oratio.

DEus, à quo de cælo est omnis expectanda medela sicut de terra est omnis creatio medicinæ, qui in plenitudine temporum magnum de cælo misisti medicum, quia magnum

gnum in terra infirmum iacere noueras: multiplica super nos misericordiam tuam, & benedicere † & sanctificare digneris hoc genus medicinæ compositum, vt quicumque ex eo sumpserit, liberetur à vexatione diaboli ex maleficio præcipuè illata, & ita illius nexus efficacitet dissoluatur, vt affuisse Dominum nostrum Iesum Christum agnoscentes gaudeamus: Qui tecum viuit & regnat in vnitate spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta in modum crucis.

Benedictio cuiuslibet rei.

℣. Adiutorium nostrum, &c.
℟. Vt supra.

Oremus.

BEnedic † Domine creaturam istam N. vt sit remedium salutare generi humano; & præsta per inuocationem sancti tui Nominis, vt quicunque ex ea sumpserint, vel gustauerint, corporis sanitatem, & animæ tutelam accipiant. Per eundem Iesum Christum Filium tuum, Qui tecum viuit & regnat, in vnitate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Aspergatur aqua benedicta in modum crucis.

Benedictiones domus molestatæ à spiritibus haberi possunt in flag. Dæmonum, & canale, & in rituali Peyrini, 2. p. cap.28. apud quem videri etiam possunt benedictio seu exorcismus contra imminentem tempestatem cap.29. benedictio agrorum, vt ab eis locusta, bruchi, & quæuis alia animalia noxia expellantur cap.27. & modus faciendi aquam benedictam cap.1.

CAPVT VII.

De Sacris Amuletis.

SAcrosancta Ecclesia pia ac misericors Mater ad fugandos dæmones, eorumque morbos inuenit, tam in præseruatione,

ne, quàm in curatione sacra amuleta, seu scripturarum orationum, diuinorum nominum, rerúmque sacrarum ad collum appensionem, vt symboli Apostolici, In principio erat verbum, &c. particulæ alicuius psalmi. Quibus rebus, & olim vsi multi: Et scribit Emanuel Costa comment. rerum indicarum Hormutij nostris temporibus hoc pacto dæmonem ex ænergumena pulsum. De S. item Eugenio Abbate legitur, quod primum quidem multam ad Deum orationem fuderit, deinde breuem exorcismum scripserit, obsignarit, & collo puellæ alligari mandarit: Dæmon verò decesserit antequam ad puellam exorcismus esset delatus. Vide Surium tom. 1. in Ianuario; simile quid de S. Bernardo in eius vita cap. 4. lib. 2. habetur: expulerat ille secundo ab obsessa quadam spiritum nequam, quia verò verebatur, ne se discedente rursus miseram ingrederetur, hunc ipsius collo appendit exorcismum: *In nomine Domini nostri Iesu Christi præcipio tibi dæmon, ne hanc mulierem ingrediaris.* Narrat Leontius epis. ex Surio 1. Iulij sanctum simeonem salum mulieri magæ amuletum in tabella conscripsisse, quo gestato illa non potuit amplius diuinare, nec magica amuleta facere. Idem habetur in vita S. Antonij. Et Fernelius lib. 2. de causis rer. abd. recitat de fuga Dæmonis ab energumeno gestante imaginem S. Michaelis Archangeli.

Inter amuleta extollitur à Mengo breue ex auro, thure, & myrrha aduersus incubos, & succubos, & contra insultus maleficorum, quorum benedictio consueuit fieri in festo Epiphaniæ, extracta ex sacerdotali.

Habeas aurum, thus, & myrrham præparata, & illa benedic sequenti benedictione.

℣. Adiutorium nostrum, &c.

℟. Vt supra.

Ps. Deus in nomine tuo saluum me fac, &c. Deus iudicium tuum regi da, &c. Deus misereatur nostri & benedicat nobis, &c.

Antiphona. Apertis thesauris suis, obtulerunt Magi Domino Aurum, Thus, & Myrrham. Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. *totum.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et

℟. Et falutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobifcum.
℟. Et cum fpiritu tuo.

Oratio.

OMnipotens fempiterne Deus, te humiliter deprecamur, vt ficut has creaturas Auri, Thuris, & Myrrhæ à tribus regibus tibi tamquam humano regi, & Deo vero; & homini vero oblatas recepifti: ita bene † dicere, confe † crare, & fancti † ficare digneris, & eis tuæ donum benedictionis infundere: vt quicumque eas geftauerit, ab omni periculo animæ & corporis faluus femper exiftat. Qui cum Patre, & Spiritu fancto viuis, & regnas, &c.

Oratio.

DOmine Iefu Chrifte, qui nobis facerdotibus, non noftris meritis, fed fola dignatione clementiæ tuæ præ cæteris gratiam contulifti, vt quidquid à nobis in tuo nomine dignè, ac perfectè agitur, à te fieri credatur. Adefto quæfumus noftræ officio feruitutis, & bene † dicere, ac fancti † ficate digneris has creaturas tuas Auri, Thuris, & Myrrhæ, quas nos in nomine fancto gloriæ tuæ benedicere confidimus. Qui viuis & regnas, in vnitate Spiritus fancti Deus. Per omnia fæcula fæculorum. Amen.

Oratio.

BEnedic † itaque Domine Iefu Chrifte in titulum omnipotentiæ tuæ, & fpem falutis fidelium venturum hac creatura Auri, Thuris, Myrrhæ, vt ficut beatos tres Magos Gafpar, Balthaffar, & Melchior tibi eas offerentes, ad myfteria tua cognofcenda illuminare, & ad te deuotè adorandum accendere, atque ab infidiis, & periculis cuftodire dignatus

dignatus es; ita fideles tuos in tua misericordia sperantes, qui eisdem creaturis tuis, Auro, thure, & Myrrha in tuo nomine vsi fuerint, lumine tuo illustrare, amore tuo inflammare, & à cunctis aduersitatibus, ab omnibusque insidiis, & nocumentis diabolicis præseruare digneris. Qui cum Patre, &c.

Et aspergatur aqua benedicta.

Hac benedictione completa, si quis vexetur à dæmone incubo, vel succubo, accipiat ista tria vna cum ruta benedicta sequenti benedictione & faciat sibi breue, & ad collum portet cum Dei timore & reuerentia.

Faciat etiam ex istis quatuor partes, & collocet in 4. angulos lecti, & liberabitur, Deo fauente.

Benedictio Rutæ.

℣. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Benedic † Domine Iesu Christe hanc rutam, & infunde ei per tuam virtutem, tuam sanctam † benedictionem cælestem; vt quicumque ex ea suffumigatus fuerit, vel supra se eam habuerit, vel portauerit, vel gustauerit, vel odorauerit, nullus inimicus ei nocere possit, & in quibuscumque locis aspersa fuerit, vel posita, recedat, & contremiscat diabolus, & fugiat pauore, & non præsumat amplius inquietare, vel illudere creaturas tuas; Inde supplico Domine, vt mittas Angelum tuum Raphaelem, qui euulsit, & expulit à Saria, & à Tobia dæmonem mortiferum, & fætentem, vt illum conterat, & perdat de cunctis animabus colentibus Deum, de scamnis, de angulis, de lectis, & de omnibus locis in quibus habitet, requiescat, vigilet, & consistat, nec valeat amplius inquietare, vel pauores immittere in illos, quos sancta vnctio muniuit. Benedicauis † igitur Ruta in nomine Domini

mini nostri Iesu Christi, & sanctæ Trinitatis, vt sis exterminatio diaboli, & omnium contubernalium eius. Per eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen.

Aliud Remedium liberatiuum, & præseruatiuum ab infestationibus dæmonum vexantium homines, iumenta, & habitacula eorum, & ab insultibus maleficorum.

℞. Chartam, & ipsam benedic.

Coniuratio.

Coniuro te † charta, per verba illa tituli triumphalis saluatoris Domini nostri Iesu Christi, & per omnia alia verba, quæ dicuntur de creatore omnium creaturarum: & per illum, qui potest tribuere, & facere, quod tantam obtineas virtutem, vt omnia, quæ super te scribentur, ad effectum salutis æternæ perducere valeas, & vt omnis fallacia, & virtus diaboli exeat de te, & intret in te omnis virtus prædicta, sine mora. In nomine Pa†tris, & Fi † lij, & Spiritus † sancti. Amen. *Et Aspergatur aqua benedicta.*

Deinde scribe super eam hac verba in modum crucis.

I Qui verbum caro factum est, & habitauit in nobis, N † R nascens ex Maria Virgine per ineffabilem pietatem, & I misericordiam suam piissimam, & per intercessionem eiusdem B. M. V. Et Angelorum, sanctorumque omnium, & maximè Apostolorum, & Euangelistarum suorum Ioannis, & Matthei, Marci, & Lucæ, ipsum quæso, vt dignetur me liberare, & conseruare ab omni infestatione satanæ, & ministrorum eius. Qui cum Patre, &c.

Deinde ℞. Salem exorcizatum & benedictum, ceram cerei Paschalis, vel aliam benedictam, & rutam benedictam: & omnia simul pone in charta supradicta: & in modum breuis suspende omnia ad collum patientis, vel in loco vexato.

Ad cognoscendum num aliquis vexetur à spiritibus immundis, scribe hac nomina sancta Dei in charta benedicta, vt supra, & pone illam super patientem, ipso nesciente.

In nomine Pa † tris, & Filij, † & Spiritus † sancti. Amen. Aël † Heloym † Soter † Emmanuel † Sabaoth † Agla † Tetragrammaton † Hagios † Hotheos † Ischyros † Athanatos † Iehoua

† Iehoua † ya † Adonay † Saday † Homousion † Messias † Eserehye † Increatus Pater † Increatus Filius † Increatus Spiritus † Sanctus. Iesus † Christus vincit † Christus regnat † Christus imperat. † Si diabolus ligauit, vel tentauit te N. suo effectu, vel per sua opera, Christus Filius Dei viui per suam misericordiam liberet te ab omnibus spiritibus immundis, qui venit de cælo, & incarnatus est in vtero B. V. M. causa humanæ salutis, & eiiciendi diabolum, & omnem malignum spiritum à te in profundum inferni & abyssi. Ecce crucem † Domini, fugite partes aduersæ, vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid.

Horum nominum Dei expositio extat apud S. Hieronymum tom. 3. in epist. ad Marcellam, & sunt prima decem. Reliqua pulchre explanantur à Canale in libello de bened.

Vel ℞. Auri, thuris, myrrhæ benedic. parum hyperici, rutæ, salis, radicis iringi, gentianæ, valerianæ, manus Christi, morsus diaboli, herbæ paris benedic. ad arbitrium, argenti viui incorporati in plumbo liquefacto prius ʒ.j. pulverizanda puluerizentur, & cum cereis benedictis intinctis modico oleo bened. & gummi dragag. dissol. in aqua lustrali formentur sphetulæ effigiatæ sigillo S. Patroni patientis, & portentur collo appensæ; quibus admisceri potest aliqua particula agni benedicti, seu consecrati à summis Pontificibus, de quo P. Mathæus in 7. decretalium, Delrius, Thyræus, & liber extat Vicentij. Bonardi.

CAPVT VIII.

De gestatione sacrarum Reliquiarum.

DE hac D. Hieronymus agit contra Vigilantium, D. Chrisost. in lib. contra G. & hom. 66. ad popul. Antioch. & ser. in adoratione caten. S. Petri. Vincentius lib. 24. cap. 88. ait per D. Petri catenas plurimos dæmones expulsos fuisse & vmbra eiusdem Petri dæmonum virtutem confractam legimus cap. 5. Actorum vbi & cap. 19. attactu semicintiorum, & sudarij D. Pauli narrantur dæmonia eiecta; simul etiam Gregorius Nissenus in vita Gregorij Thaumaturgi apud Surium tom. 4.

tom.4. similia de dicto sancto memorat. Et de aliis D. Theodoretus hist. SS.PP. cap.21. apud Baronium tom.5.hist. Eccl. circa annum 424. & præclarum exemplum refert Beda lib.3. hist. Anglorum cap.11. D.Hieronymus epist. ad Eustoch. de vita Paulæ ait ad sepulchrum Elisæi, Io. Baptistæ, ac Abdiæ rugire consueuisse & latrare, & sibilare, & mugire Dæmones. Idem asserit S. Ambrosius de sepulchris S S. Geruasij & Prothasij & D.Augustinus lib.22. de ciui. cap. 8. Nazianzenus orat. 19. de sepulchro S. Cypriani Martyris. Thomas Phasellus lib.10. de reb. sicul.2. quotannis ad S.Philippi Apost. sepulchrum in Sicilia plurimos energumenos liberari, adeo vt anno 1541. plusquam 200.fæminæ huiusmodi fuerint numeratæ. Simile narrat Pipernus lib.5.cap.7. de sepulchro S.Bartholomæi Apost.Extant isthic Genuæ cineres S. Io. Baptistæ, præcursoris D. N. I. Christi, terroris, fugæque Dæmonum, ac dictæ vrbis fautoris, Patronique munificentissimi. In Conuentu nostro Iesu Mariæ ibidem costa, caputium, missale, perspicilla D. Francisci De Paula, quibus quam plures ægri & obsessi liberantur. Merito ergo religiosè, semperque Sanctorum reliquiæ colendæ sunt, vt tanquam cælestem Thesaurum venerabatur S. Io. Damascenus, eas vocans fontes salutiferos. ex quibus plurima ad nos beneficia manant, suauissimumque vnguentum profluit. Iure igitur tot olim & hodie ad eorum sepulchra, & Ecclesias sunt peregrinationes institutæ.

Idem præstare obseruauimus oleum seu manna S. Nicolai deuotè propinatum,& applicatum loco affecto per vnctionem,

Frustulum Corporalis pro reliquia non est habendum; Nam quando Corporale amplius ob vetustatem inseruire nequit, præcipit Ecclesia seruari non debere vt reliquiam, sed potius comburi, & cineres in sacrarium proiici; secus verò de sacris reliquiis, quas imo præcipit seruari venerandas. Vnde contactus specierum consecratarum non est sufficiens ad tribuendam veram rationem reliquiæ frustulo corporalis; sed enim requiritur contactus physicus, Corporis Christi non moralis tantum, alioqui si quid vel in species caderet consecratas, vel panem attingeret consecratum pro reliquia foret habendum. Et eo vel maximè quia conuerti potest in vsus prophanos. Quartus p.1.tit.20.dub.3. diff.2.

CAPVT

CAPVT IX.

De recursu ad sanctam probatámque vitam viuentium virorum, auxilióque ab his petendo

SIcut dictum est valde valere ad sanandos hos morbos gestationem, vel visitationem sacrarum reliquiarum, ita nimis etiam prodest recursus ad viros sanctos, de quorum efficacitate contra dæmones plura extant exempla; nam hi primis temporibus dæmones eiiciebant sola quandoque præsentia sua, vt legitur de Machario Alexandrino apud Palladium cap.19. & Ægyptio apud Sozomenum lib. 6. cap. 20. & de Rustico apud Cassianum collat. 14. c.7. & de S. Guthberto, apud Bedam in vita eiusdem sancti cap.15. vel verbis solum, vt Basilius, & Abbas Paphnutius; vel literis, vt de S. Eugendo in eius vita, & de sancto Gregorio Thaumaturgo apud Gregorium Nissenum; vel percussione seu verbere, vt S. Paulus simplex apud Palladium, & Theodorus apud Gregorium presbyterum: vel per interpositam personam tamquam nuncium, vt S. Franciscus De Paula apud Sanseuerinum cap.2.lib.3. vel vmbra, vt S. Petrus quid quod & solum nomen sancti auditum spiritus fugabat, vt legitur de D. Antonio.

CAPVT X.

De inuocatione nominis Iesu.

DE hac inquit Apostolus: *in nomine Iesu omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum*: Et Actorum 6. imperauit Dæmoni in nomine Iesu, vt à puella discederet. Habetur etiam Marci vltimo, Lucæ 10. quod & præstasse primos Christianos, testatur S. Iustinus in Apologetica, & S. Cyprianus aduersus Demetrianum. Accedit Rituale Ecclesiæ. Nec desunt exempla Sanctorum vt B Theodori apud Gregorium relatum à Surio in vita eius tom.2. S. Suuiberij apud

apud Marcellinum cap.20. S. Arſacij apud Sozomenum lib. 4. hiſt. cap.15.S.Pontici in vita S. Bernardi cap.1. Eiuſdem S.Bernardi. S. Eligij apud Audoënum lib.2. c.11. in eiuſdem vita. S. Antonij apud Athanaſium quinque S.S. Franciſcorum in eorum vitis.

CAPVT XI.

De impoſitione manuum ſacrarum cum benedictione.

HÆc non ſolum propulſat dæmonem, ſed impedit, ne egreſſus dæmon iterum redire valeat, vt conſtat de Muliere habente ſpiritum infirmitatis annis 18. Lucæ 13. quam cum vidiſſet Ieſus impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt. B. quoque Germanus manuum impoſitione ſuper energumenos multos liberauit referente Fortunato in eius vita c.30. S. Martinus teſte ſulpitio, in vita eius S.Macarius auctore Palladio. S. Theodorus archimandrita ſcribente Gregorio Præſbytero. S. Gregorius Agrigentinus apud metaphraſtem in eorum vitis. S. Vincentius Ferrerius. B. Ludouicus Bertrandus. S. Franciſcus de Paula ad exemplum Chriſti & Apoſtolorum, qui ſuper ægros manus imponebant, & bene habebant.

S. Autem Clarus apud Surium in eius vita tom.2. adhibuit digitorum immiſſionem in os obſeſſorum. Eamdem adhibuit S. Columbanus apud Surium tom.1. S.Patroclus auctore Gregorio Turonenſe lib. de vita P. P. cap.9. Egidius Netteletus ſcribente Io. Molineto Chron. Belgici.1490.

CAPVT XII.

De campanis.

PRodeſt quoque ad maleficia dæmoniaque propulſanda benedictarum Campanarum Eccleſiæ catholicæ pulſatio. Durand lib.1.ratio.cap.4. Concilium Colonienſe c.14.Quam docent dæmonibus adeo infeſtam, & inimicam eſſe, vt ab

iis excitatæ tempestates, vel ingruentes impediantur, vel iam exortæ sedentur, & aliò auertantur, & Dæmones, quasi tubas æterni Regis campanas audientes territi fugiant, non quia æris sonus dissipet aërem, & dæmones; sed Dei virtus sua dispositione operantis vi benedictionis hoc præstat.

CAPVT XIII.

De inquisitione, dissolutione & combustione signorum seu instrumentorm maleficij.

HÆc sæpius repetenda est, quia solent malefici sua reiterare maleficia. Et his peractis benedici debent plumæ, vel lanæ, vel loca, vbi inuenta sunt maleficia, & in ipsis poni debent amuleta descripta cap. 7.

CAPVT XIV.

De obsessi exorcizatione, & dæmonis coniuratione.

ADiuratio actio quædam est, qua persona aliqua inducitur imperando aut obsecrando ad aliquid faciendum, vel omittendum inuocatione alicuius rei sacræ. S. Th. 2. 2. q. 90. art. 1. Est actus religionis, & cadit sub præcepto contento sub præcepto horarum canonicarum, & rectæ administrationis Sacramentorum, & missæ. Quandoque etiam potest cadere sub obligatione officij adiurandi energumenos, ex suppositione, quod aliquis sit in necessitate. Suar. lib. 4. de adiurat. cap. 4. n. 2.

Ad eam præsupponuntur tres comites iuramenti: veritas vt per Deum verum adiuretur, & animo rei impetrandæ: iustitia, vt res petita licita sit: & iudicium, vt fiat in necessitate, & cum debita reuerentia. Filiuc. tract. 24. cap. 8. q. 7. num. 201.

Duplex est, deprecatiua, quæ licita est erga Deum, Sanctos, & homines, & non erga Dæmones; & imperatiua, quæ erga

erga homines subditos solis superioribus licet, exorcistis erga Dæmones, & publica quidem solis ministris ordinatis.

Exorcistarum mutatio etiam iuuat. Nam S. Antonius non potuit quemdam dæmoniatum liberare, quem Paulinus eius discipulus liberauit. Huius exempla extant apud SS.PP. relatos à Castaldo tom.3. dist.17.q.2. ar.1. q.2.

CAPVT XV.

De Exorcista.

EXorcista Græcè, Latinè dicitur adiurans, vel increpans. 21. dist. Cleros. Atque adeò exorcizare est adiurare, vel increpare.

Non ad vana, aut curiosa edifcenda, & nihil ad expultionem spectantia dæmonem imperatiuè adiurare debet: Sed solùm ad ea, quæ pertinent ad eius expultionem: scilicet de numero, nomine obsidentium, de causa ingressus, tempore, quo ingressi sunt, an maleficij, aut incantationis aliquo signo ibi ligati sint, quodque illud sit: vbi repositum; quaue materia constructum; & an illud ad mortem, fuerit effectum; an ad odium solum, an sterilitatem, an verò ad amorem, vel alium finem. Si extrinsecus adsint etiam eorum socij, ministri, atque fautores, quot sint, & quomodo permaneant ipsi; Cuius ordinis fuerint; cui regioni seu elemento addicti sint; quinam sint maiores sui inimici in cælo, & in inferno; quo in loco, quo efficaciori medio, quo tempore, per quem exorcistam sint expellendi; de signo reali & sensibili sui ipsorum omnium discessus. Hoc autem sit vel lampadis extinctio, vel campanulæ sonus, vel sanguineus sputus sine læsione creaturæ, vel deosculatio terræ, vel inuocatio diuini nominis, vel B. V. vel fractio vitri, &c. Baucius q.1.

Quando dæmones sunt muti, vel non sunt intra corpus maleficiati per existentiam, sed solum extra per assistentiam, hæc omnia possunt, licitè peti à dæmone, qui est in corpore alterius obsessi; quia hoc non est velle societatem inire cum ipso, sed ab ea recedere.

Potestas exorcistæ reducitur ad gratiam miraculorum, vel

sanitatum. Quidquid fiemant.Hæretici,Hussitæ, Vuiteleuistæ, Lutherani, qui contendunt esse Idololatriam exorcismos exercere, quia nullum Deus mandatum ipsos faciendi docuit. Nam potest Ecclesiá ceremonias instituere, ad languores leuandos & expellendos dæmones: inquit enim S. Matthæus cap.10. *dedit illis potestatem spirituum immundorum vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem.* Idem habetur Marci 3.& 15. & inde Ecclesia potestatem habet instituendi exorcismos, per quos per modum imperij dæmones expellat, & Dei nomine compellat vt se manifestent. Gaspar Brauo p. 6. consult 17. §.5. Suar. tom.3. disp.15.p.3. sec.4. S. Franciscus Sales lib.2. de vexillo crucis.pag.269.

Aliquam etiam veritatem ad gloriam Dei, & adstantiam vtilitatem potest petere, sed imperatiuè; Quod tamen solis sanctis viris, & prudentibus præstandum esse volunt Caiet.2. 2. q.90. ar.1. Tabiena V. inuocatio n.2.q.1.

Quod si vana & inutilis petat, ex quadam curiositate erit peccatum veniale ob actus imperfectionem; nisi longos sermones misceret de his rebus; vel cum intentione addiscendi à dæmone, vel certam illi fidem adhibendo, vel nisi credat fore vt dæmon occultum alicuius peccatum detegat. Multo magis caueat, ne iocetur cum dæmone, vel nugacia misceat, quia cum sancta res sit Dæmonem eiicere, sanctè tractanda est, sed statim imperet illi, vt taceat; solet enim dæmon aliquos morum fideique errores docere, tum etiam superstitiones, diffamare innocentes, aut vera occulta detegere; aliquos interdum solet dicere se timere, vt eos inducat in superbiam. Sousa lib.1.c.55.n.8.9. & 10.

Potest dæmonem in infernum, siue in desertum locum committere, vbi homini nocere nequeat. Item petere signum à dæmone, quo testetur se egredi, & fore vt nunquam redeat: tum quia in sacerdotali Romano instruitur Exorcista, vt hoc signum petat; tum quia sicut exorcismis cogitur ad relinquendum corpus obsessi; ita potest cogi ad dandum signum exitus, vt constet de exitu pugnæ, & concertationis.

Non potest petere à dæmone superiore, vt inferiorem expellat, vel præbeat auxilium contra tempestates: quia esset petere à dæmone aliquod beneficium. Sotus lib.8.de iustitia. q.3. ar.2. & 3.

Neque potest petere occulta, vt furtum, thesaurum, personam

ſonam abſconditam vt dictum eſt lib. 2. cap. 3.

Caueat à ſuperſtitionibus. 1. ne radat capillos obſeſſi, vt dæmon exeat. 2. ne vtatur cum eo terminis iudiciariis. 3. ne reddat ſe ſuſpectum de ſuperſtitione, vt ſi laicus, aut clericus habens primam tonſuram exorcizandi munus quaſi ex officio, aut peculiari Dei priuilegio ſibi vſurpet. 4. ſi plus virtutis ſibi arroget ad liberandos obſeſſos, quam cæteris eiuſdem ordinis. 5. Si peculiaribus exorcizandi formulis vtatur. 6. ſi vocibus ignotis vtatur, quas ſolis dæmoniacis ad aures dicit.

Non autem reddit ſuſpectum ſuperſtitionis permittere aliquid dæmoni egreſſuro, modo non ſit contra Dei gloriam, aut proximi vtilitatem, acproinde ſi petat non relegari in infernum, vel in deſertum locum, vel non cruciari nouis malis concedi poteſt, vt facilius relinquat energumenum. Illicitum tamen eſt ei annuere volenti tranſire in alium hominem regulariter loquendo. Thyræus de dæmoniacis c. vlt. n. 1. vſque ad 8.

Non poſſunt adiurari creaturæ irrationales vt tempeſtates, locuſtæ, &c. directè, quaſi ipſæ ſe moueant, & operentur mala, At indirectè prout mouentur à Deo, vel à dæmone poſſunt adiurari adiuratione mixta ex deprecatiua reſpectu Dei, & imperatiua reſpectu dæmonis. Adiurare directe ſi ex leuitate fiat, non animo ridiculos faciendi exorciſmos Eccleſiæ, eſt peccatum veniale: ſi autem adſit contemptus, eſt peccatum mortale. Valentia 2. 2. diſp. 6. q. 8. p. 2. ad finem.

Dæmonum exorciſmi dupliciter exercentur in Eccleſia, ſcil. ad cohibendum eos, ne impediant baptiſmi receptionem, & tunc ſemper habent ſuam efficaciam. 2. ad expellendos eos ab energumenis, tunc non ſemper ſunt efficaces, licèt in primitiua Eccleſia maiorem haberent efficaciam ad confirmationẽ fidei.

Poteſtas ergo exorcizandi non fundatur in ſanctitate miniſtri, etſi ea non parum iuuet, ſed innititur diuini nominis inuocationi, fidei, & ſanctitati Eccleſiæ, cuius miniſter perſonam gerit. Propterea exorciſmi habent vim non ex ſolo opere operantis, ſed ex opere operato. Impeditur tamen ſæpè huiuſmodi effectus vel ob modicam miniſtri fidem, vel quia non eſt infallibilis, ſed ex congruitate quadam. Hinc illud Matth. vlt. *In nomine meo dæmoni a eiicient.* Significat ſolum id quandoque eſſe futurum, quando ſic expedit. Non enim ob ſolam incredulitatem aut alia peccata aliquando obſeſſi non liberantur: ſed etiam occulto Dei iudicio; vt ad diuinum auxilium à

dæmone diutius afflicti maiori fide & animi feruore accurrant, vel ob similes causas ad prouentum animarum, ad aliorum exemplum, vel ad aliud Ecclesiæ commodum tendentes. Turrecremata in cap. mirum n.13.26.q.6.

Quod si exorcismi felicem successum habeant, Deo, à quo profectum est, Christi passioni, ac meritis totum adscribat: sibi nihil arroget, ne in vanam gloriam incidat: Si non habeant felicem successum, nihil animo cõmoueri debet, sed consolari obsessos, eiusmodi cruciatus permitti à Deo ob fines iã dictos.

Quibus autem sacris verbis, aut signis, aut locis, nouerit minister dæmonem magis affligi, ea crebrius adhibeat. Si autem viderit arreptitium aliqua corporis parte commoueri, pungi, vel tumorem apparere, ibi crucis signo, aqua benedicta, carta oleo benedicto inspersa vti non intermittat.

Quando in Rit. Rom. dicitur exorcistam imperare dæmoni, vt exeat sub pæna excommunicationis, vsurpatur hoc nomen latè, provt idem est cum maledictione, & execratione.

Dæmonem absolutè maledicere non est peccatum, quia ratione status sui mali à Christianis intelligitur maledici, & non cum respectu ad Creatorem.

Regularibus prohibetur exorcizare sine Generalis aut Prouincialis licentia & Ordinarij approbatione S.C.22.febr.1625. & nobis minimis, sub pœna perpetuæ priuationis vtriusque vocis, ac primogenituræ. c. Auin.10. Prohibetur ibidem medicinas ad exorcismos, aut superstitiones adhibere sub iisdẽ pœnis.

Si obsessa sit monialis debet exorcizari ab eius confessario, obtenta prius licentia à Papa, in Ecclesia exteriori, ianuis clausis, præsentibus fæminis honestis, vel aliis viris prouectæ ætatis S.C. 1.Iulij 1606. & si ipse talis artis non esset peritus, posset alium subdelegare, modo semper assisteret, & expleto exorcismo monialis illico ad clausuram reducatur. S.C.20.Iulij 1580.18.April.1600.14. Maij 1616. &8. Octo.1649. Hæc tamen non sunt necessaria quando monialis exorcizatur ad experiendum, an sit obsessa.

Ingrediendi clausuram Episcopus licentiam concedere non potest ad exorcizandum monialem. S.C. 12. Maij 1601.& 8. octob.1610. Vtique pro benedicendis cellis de infectione suspectis. S.C. 22. Febr. & 2. Maij 1595. Assistente Prælata & comitatricibus S.C. 18. Ian. 1632.

Potestas exorcizandi est duplex: 1. ex officio & sic solum, sacerdoti,

ſacerdoti, vel exorciſtæ competit. 2. ex communi poteſtate à Chriſto tradita Chriſtianis, & ſic olim non tantum ordinati clerici, ſed alij etiam Chriſtiani è corporibus obſeſſorum Dæmones in Chriſti fide expellere ſoliti erant, vt aſſerunt Tertull. lib. de Idolola, cap. 11. & in apolog. contra Gentes cap. 23. Lactantius lib. 4. de vera ſapientia cap. 27. S. Pacianus lib. 4. contra Parmenianum, & modo etiam poſſe auctoritate Chriſti adiurare, vt dæmon deſineret energumenum moleſtare in caſu repentino & improuiſo, vbi miniſter nullus adeſſet Eccleſiæ, & dæmon eum vexaret, docet Peyrin. form. lit. E. cap. 36. n. 5.

Dicuntur dæmones per exorciſmos adiurari per quamdam ſimilitudinem, ſicut enim cum homines adiuramus, inducimus eos, vt in nomine Dei aliquid præſtent, vel omittant; ita dæmones coguntur exire vi diuini nominis quamuis nihil ipſi faciant ob Dei honorem, nec id ab exorciſta contendatur. Nam liberum arbitrium dæmonum obſtinatum eſt in malo, nec reuerti poteſt ad bonum ex S. Th. de malo q. 16. ar. 5. & de veritate q. 24. ar. 10. Vnde omnis motus liberi arbitrij eorum eſt inordinatus, idem S. D. de veritate q. 24. ar. 2. quia nempè omnia volunt in ordine ad ſuum malum finem, & in omnibus, quæ agunt propria voluntate, peccant mortaliter 1. p. q. 64. ar. 2. ad 5. & 1. 2. q. 89. ar. 4. & in 2. diſt. 7. Syluester V. Maleficium q. 4.

Præcipuæ Exorciſtæ conditiones ſunt: 1. peccatorum confeſſio. 2. feruens oratio, & ieiunium. 3. humilitas. 4. diſciplinæ & cilicia. 5. amor Dei. 6. abſtinentia ab omni quæſtu, aut munere accipiendo. 7. patientia & perſeuerantia in ipſa coniuratione. 8. ſpes, fides, & confidentia. Peyrinus ſupra n. 6. & 8.

Hæreticus numquam eiiciet dæmonem pro fidei ſuæ confirmatione: cum Deus teſtis falſi non ſit, & dæmonum expulſio ſit ſignum fidelium. Thyræus de dæmon. cap. 38. n. 507. S. Franciſcus Sales lib. 2.

Exorciſta debet exorcizare in Eccleſia paucis præſentibus, & vno ſaltem Eccleſiaſtico, & hoc neque ante ortum, neque poſt ſolis occaſum. At ſi fuerit ægrotus, vel perſona nobilis, vel nubilis, vel alia honeſta de cauſa in domo priuata exorcizari poterit, vt concedit Rituale Rom.

Poteſt exorcizare plures obſeſſos ſimul, modò præcipiat dæmoni, qui eſt in corpore vnius, ne præbeat auxilium dæ-

monibus qui sunt in corpore aliorum, & vice versa.

Si quis sacerdos sit dæmoniacus potest seipsum exorcizare, & imperare dæmoni vt desinat seipsum molestare, sed nunquam à se ipso liberabitur; quia in medio exorcismi vel sensus, vel phantasiam fascinabit, vel in soporem inducet, vel ei visionē aliquam ostendet, vel imaginem auctoris sui maleficij vel interiori suggestione dicet vt cesset à coniuratione, vel ipsum agitabit, & adeo molestabit, vt eum à coniuratione amoueat.

Potest exorcizare energumenos longè dissitos, tum quia vnusquisque dæmon habet suam sphæram actiuitatis determinatā proportionaliter, ita vt si primus ex primo ordine habet semidiametrum suæ spheræ actiuitatis intra centum milliaria, vltimus ex vltimo ordine habebit semidiametrum suæ spheræ actiuitatis intra quinque milliaria, & sic vnusquisque intra terminum suæ spheræ actiuitatis poterit audire præcepta exorcistæ. Si autem erit in regionibus plus quam 200. milliaribus ab Exorcista dissitis, poterit exorcista imperare malo spiritui, qui sibi & vnicuique à Deo permittitur infestando assistere ad iugem vniuscuiusque probationem, vel aliis spiritibus, qui assistunt exorcistæ, vel sunt magis propinqui, vt vadant ab enuncianda mandata Dei.

Non debet facile credere, aliquem esse obsessum à dæmone; sed nota habere debet ea signa descripta part. 1. cap. 9. quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Siquidem per exorcismos non sanantur morbi ordinarij, etiamsi per maleficia ex dæmonibus inferantur, non enim solent exorcismis omnes molestiæ & vexationes, quas dæmones inferunt hominibus, curari; sed solum illæ, ad quas repellendas exorcismi ab Ecclesia ordinantur, vt sunt molestiæ, quas inferunt manendo in corporibus, & illa vexando, siue dum interius manent, siue dum exterius obsident, & illa regulariter sanantur per exorcismos; maleficia autem dæmonum, & alia mala, quæ nobis inferunt, contra quæ non ordinantur directè exorcismi, non curantur per exorcismos, nisi rarò & indirectè.

Quando verò certò scit aliquem esse obsessum, tenetur ex charitate eum admonere; quia etsi ex officio teneatur exorcizare obsessum, ideoque peccet grauiter omittendo, quando est necessarium, & non est alius exorcista: non tamen ad hoc tenetur ex iustitia, quasi debeat eius vexationes & damna illata à dæmone cauere.

Caueat

Caueat exorcista ne vllam medicinam infirmo vel obsesso præbeat aut suadeat ; sed hanc curam medicis relinquat Nulla tamen medicina est facienda seu applicanda absque benedictionibus & exorcismis S. Ecclesiæ , quod sæpius monui.

Obsessi etsi conualescant, non possunt initiari sacris ordinibus : vix enim constare potest de plena illorum liberatione: At post susceptos Ordines possunt Ordinibus susceptis vti. Gl. per illum text. in ea communiter dist. 33. Nauar. cons. 33 de tempore ordinat. Naldus V. Dæmon n. 8.

CAPVT XVI.

De artibus & deceptionibus dæmonis.

DÆmon, ex Vicecomite doct. 9. ante & post coniurationem, imo in ipsius actu, multis vtitur versutiis ac technis: 1. solet dæmon fallaciter respondere, & difficilè se manifestare ; vt exorcista diu defatigatus desistat, aut infirmus videatur non esse à dæmone vexatus. 2. quandoque etiamsi sit manifestus, abscondit se, & relinquit corpus quasi liberum ab omni molestia, vt infirmus putet se omnino esse liberatum: sed cessare non debet exorcista, donec viderit signa liberationis. 3. aliquando etiam dæmon ponit quæcumque potest impedimenta, ne infirmus se subiiciat exorcismis, vel conatur persuadere infirmitatem esse naturalem. 4. interdum in medio exorcismi consopit infirmum, & ei visionem aliquam ostendit, subtrahendo se, vt infirmus liberatus videatur. 5. plerumque demonstrat factum maleficium, à quibus sit factum, ad odium erga eos excitandum & modum ad illud dissipandum. 6. quandoque infirmum quiescere actusque virtutis elicere, sacra dicere & suscipere sanctissimam Eucharistiam permittit, vt discessisse videatur. Ex Rituali Romano. 7. sæpe morbos inducit signaque, & accidentia similis morbi dat, ita vt vos ipsi medici decipiamini credentes, ipsam infirmitatem verè meram naturalem, & non diabolicam esse. 8. simulat quoque dæmon se fatuum esse, & ignarum, & ab actionibus supernaturalibus se abstinet, ne cognoscatur. Cum autem

tem omnibus notum est, ipsum adesse, ne remedia applicentur, & ne ad coniurationem adducatur, procurat impedimenta diuersa; in coniuratione diuersas causas affert, vt exorcistam inducat ad eum interrogandum; interrogatus vero respondere recusat, vel simulat veritatem fateri non posse, & verba dat exorcistæ, vt teneat eum in spe veritatis habendæ, quapropter sæpe sic impunè euadit. 9. aliquando dæmon veritatem narrare, vel aliqua præstare videtur, coactus ob exorcistæ vitæ bonitatem, ad hoc vt eum inani gloria inflet. 10. interiori suggestione sæpè dæmon dicit dæmoniaco, quod sit facturus, & ostendit se habiturum ipsius corporis curam, & defensionem, vt paulatim se credibilem præbeat. 11. in coniuratione sæpe fingit, se nullum sentire dolorem, nec dat signa terroris, licet affligatur, & tacendo demonstrat se valde fortem, vt affligat animum exorcistæ, qui demisso animo fit tepidus, & quandoque, quæ ipse dæmon minus metuit, admodum pertimescere fingit. 12. creaturam obsessam agitat, prosternit, ac eam cruciat, vt exorcistam à coniuratione amoueat, ad hoc vt ipsi creaturæ auxilium præbeat. 13. stridores emittit, vt interpellet coniurantem; vel iocatur, pluraque iaculatoria proponit, vt concitet risum. & tunc quando blanditur, est magis cauendus. 14. diuinam Scripturam interdum exponit vt hæreticorum fautor, vt de ipsis diuinis Scripturis laqueos fidelibus paret, non vt doceat, sed vt decipiat. 15. cum exorcismis molestatur, promittit, & iurat in crastinum velle discedere, data hora & signo, ita vt inducat exorcistam ad coniurationi finem imponendum. 16. turpia dicit & exorcistam, & astantes infamat, vt vlterius curam de vexato, non habeant. 17. sæpe aliquam personam talis maleficij auctorem prædicat, & dat signa aliqua, vt inducat ad credendum, indeque scandala deueniant. 18. interdum malè loquitur de fide catholica, dicens, se esse animam alicuius errantem, vt confirmet errorem gentilium, sicut in Simone Mago, qui illudebatur à Dæmone, credens suas magicas operationes fieri per animam pueri à se interfecti, aut quod ardebat amore inter Seraphim, vel quod Christus eum expellere non potest, vel luget asserens: doleo de peccatis patratis, & non parcit mihi Deus, eo quod iniustus est, &c. Et vt astantes credant ei, deprecatur & flagitat, vt orent, eleemosynas erogent. Sed tunc exorcista astantibus ipsorum falsitatem detegat, & quidquid

S. Catholica Ecclesia sensit aperiat, & declaret. 19. aliquando videtur manibus exorcistam percutere, etsi eum non attingat, & asserit est nobis permissa potestas super te, vt aliquos in id iudicium inducat 20. lasciuè intuetur exorcistam, & iniungere dexteram dexteræ, vel pedem pedi, procurat, & alios huiusmodi actus facit, vt eum ad impudica incitet, & ideo exorcista sensibus, & omnibus motibus debet esse cautus, & pudicus. 21. post coniurationem multoties delectabilia, & curiosa familiaribus proponit, & ad inuicem facta, tam propria, quam aliena communicanda inducit, & sic familiaris factus dæmoniacum pro vt vult, regit, & ipsi dominatur, loquens per os eius, sæpissime subuertit domum, ac vult sibi obedientiam exhiberi. Vnde multa mala euenire solent.

CAPVT XVII.

De Exorcismis.

Exorcismus est sermo adiurationis vel increpationis contra immundum spiritum in energumenis, seu cathecumenis factus, per quem illis Diaboli nequissima virtus & inueterata malitia, vel violenta incursio expulsa fugetur, ex inuocatione alicuius sacra rei. S. Isidorus de Eccl. off. cap. 20.

Cum sacerdos aliquam personam infirmam decumbentem visitauerit, & aliquam orationem super eam facere voluerit, poterit vti forma infra scripta; scilicet: In primis intrans domum infirmi dicat.

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. *Et accedens ad lectum infirmi, eum benignè salutet, & ad patientiam hortetur, & aliqua verba sancta pro ipsius exhortatione & consolatione dicat.*

Et quia infirmitas corporalis ob infirmitatem spiritualem euenit, hortetur eum, vt si cito velit sanari ab infirmitate, etiamsi infirmitas non sit multum grauis, integram, & veram confessionem faciat de omnibus peccatis suis: & si Dominus ei concedere dignabitur sanitatem, vt proponat de cætero pro viribus suis à peccatis cauere, & eius præcepta pro posse seruare.

Itaque sacerdos, siue alius exorcista rite confessus, aut saltem

tem corde peccata sua detestans peracto, si commode fieri potest, sanctissimo Missæ sacrificio, diuinoque auxilio piis precibus implorato, superpelliceo, & stola violacea, cuius extrema pars ad obsessi collum circumponatur, indutus, & coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum se & astantes communiat signo crucis, & aspergat aqua benedicta, & genibus flexis, aliis respondentibus dicat Litanias ordinarias vsque ad preces exclusiuè. In fine antiphona. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris. Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. Ps. Miserere mei, &c.

℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.

℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.

℣. Domine exaudi orationem meam, &c.

℟. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

CONcede quæsumus Omnipotens Deus vt intercessio sanctæ Dei Genitricis Mariæ; sanctorumque omnium Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, & omnium electorum tuorum, vbique nos lætificet; vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus.

Oratio.

DEus, qui fortem armatum ligasti, & omnia vasa eius diripuisti: qui dedisti nobis potestatem ambulandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: qui homicidam serpentem ligatum tradidisti nobis, tamquam passerem puerulis, quem cuncta pauent, & horrent à facie virtutis tuæ, qui eum deiecisti, sicut fulgur è cælo in terram, non lapsu vocali, sed ab honore in ignominiam, ob voluntariam nequitiam: cuius aspectus siccat abyssos & minæ liquefaciunt montes; & veritas Domini manet in æternum; quem laudant infantes, & lactentes benedicunt, quem celebrant,

brant, & adorant Angeli: qui aſpicit ſuper terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant, qui minatur mari, & ſiccat illud, & flumina omnia deſerta facit: cuius nubes puluis pedum eius, qui ambulat ſuper mare ſicut pauimentum: vnigenite Deus Magni Patris fili, increpa ſpiritus nequam & libera opera manuum tuarum ab alieni ſpiritus vexatione: quoniam tibi gloria, honor & adoratio per te tuo Patri in ſancto Spiritu in ſecula. Amen.

Oratio ſuper agros, dicenda:

Potentia Dei Patris adiuuet te † ſapientia Dei Filij inſtruat te † virtus ſpiritus ſancti † liberet te ab omnibus malis, & periculis animæ & corporis. Amen.

Ieſus Chriſtus æterni Patris Filius, mundique Redemptor, cuius gratia Chriſtianus es, te in catholica fide conſeruet, beatumque faciat, & quòd de credentibus in ſe dixit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. Per 15. Sacratiſſimi Roſarij myſteria, perque merita, & interceſſionem ſacratiſſimæ Genitricis V.M. S.S. N.N. & omnium ſanctorum, & ſanctarum martyrum, virginum, & confeſſorum † ſit tibi Clemens, & propitius † ac te ab hac, qua teneris infirmitate liberate dignetur † tribuatque tibi perfectam mentis & corporis ſanitatem, ac te in hora mortis protegat animámque ſuſcipiens ad Paradiſi ianuam perducat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Tum in aure ter dicat.

Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui. *Item in aure.* In nomine Patris † & Filij † & Spiritus † ſancti. Amen. Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſanctificas † viuificas † benedicis † & præſtas nobis † per ipſum † & cum ipſo † & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus ſancti omnis honor, & gloria. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Domine exaudi, &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, te ſupplices deprecamur, vt imperes Diabolo, qui hunc famulum tuum N. detinet, vt ab eo diſcedat, & libera

tem corde peccata sua detestans peracto, si commode fieri potest, sanctissimo Missæ sacrificio, diuinoque auxilio piis precibus implorato, superpelliceo, & stola violacea, cuius extrema pars ad obsessi collum circumponatur, indutus, & coram se habens obsessum ligatum, si fuerit periculum, eum se & astantes communiat signo crucis, & aspergat aqua benedicta, & genibus flexis, aliis respondentibus dicat Litanias ordinarias vsque ad preces exclusiuè. In fine antiphona. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum; neque vindictam sumas de peccatis nostris. Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo.
Ps. Miserere mei, &c.

℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et Filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.
℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Domine exaudi orationem meam, &c.
℟. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

CONcede quæsumus Omnipotens Deus vt intercessio sanctæ Dei Genitricis Mariæ; sanctorumque omnium Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, atque Virginum, & omnium electorum tuorum, vbique nos lætificet; vt dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus.

Oratio.

DEus, qui fortem armatum ligasti, & omnia vasa eius diripuisti: qui dedisti nobis potestatem ambulandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: qui homicidam serpentem ligatum tradidisti nobis, tamquam passerem puerulis, quem cuncta pauent, & horrent à facie virtutis tuæ, qui eum deiecisti, sicut fulgur è cælo in terram, non lapsu vocali, sed ab honore in ignominiam, ob voluntariam nequitiam: cuius aspectus siccat abyssos & minæ liquefaciunt montes; & veritas Domini manet in æternum; quem laudant infantes, & lactentes benedicunt, quem cele-

brant;

brant, & adorant Angeli: qui aſpicit ſuper terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant, qui minatur mari, & ſiccat illud, & flumina omnia deſerta facit: cuius nubes puluis pedum eius, qui ambulat ſuper mare ſicut pauimentum; vnigenite Deus Magni Patris fili, increpa ſpiritus nequam & libera opera manuum tuarum ab alieni ſpiritus vexatione: quoniam tibi gloria, honor & adoratio per te tuo Patri in ſancto Spiritu in ſecula. Amen.

Oratio ſuper ægros, dicenda:

Potentia Dei Patris adiuuet te † ſapientia Dei Filij inſtruat te † virtus ſpiritus ſancti † liberet te ab omnibus malis, & periculis animæ & corporis. Amen.

Ieſus Chriſtus æterni Patris Filius, mundique Redemptor, cuius gratia Chriſtianus es, te in catholica fide conſeruet, beatumque faciat, & quòd de credentibus in ſe dixit: ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. Per 15. Sacratiſſimi Roſarij myſteria, perque merita, & interceſſionem ſacratiſſimæ Genitricis V.M. S.S. N.N. & omnium ſanctorum, & ſanctarum martyrum, virginum, & confeſſorum † ſit tibi Clemens, & propitius † ac te ab hac, qua teneris infirmitate liberare dignetur † tribuatque tibi perfectam mentis & corporis ſanitatem, ac te in hora mortis protegat animámque ſuſcipiens ad Paradiſi ianuam perducat Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Tum in aure ter dicat.

Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui. *Item in aure.* In nomine Patris † & Filij † & Spiritus † ſancti. Amen. Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſanctificas † viuificas † benedicis † & præſtas nobis † per ipſum † & cum ipſo † & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti, in vnitate Spiritus ſancti omnis honor, & gloria. Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. Domine exaudi, &c.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, te ſupplices deprecamur, vt imperes Diabolo, qui hunc famulum tuum N. detinet, vt ab eo diſcedat, & libera

libera eum, qui credit in verum liberatorem Dñm nostrum Iesum Christum, vt purgatus ab omni labe iniquitatis maiestati tuæ pura mente deseruiat. Per eumdem, &c.

Ponat stolam ad collum Dæmoniaci & tres faciens nodos, dicat:

Sicut Dominus noster Iesus Christus, descendens de cælo apprehendit Draconem serpentem antiquum, & ligauit eum catena magna, & mittens eum in abissum, clausit ne seducat gentes, & post mortem descendens ad inferos, confregit portas æreas, & destruxit superbissimum Luciferum, eiusque sequaces; sic ego hac sacra stola ligo te, quæ tanquam circulus in naribus, & funis in lingua tua sit circumvoluta manibus meis, vt in virtute passionis, & crucis Domini omnibus præceptis meis obedias. In nomine Patris † & Filij † & Spiritus † Sancti. Amen.

Et tenens manu crucem præcipiat dæmonibus auxilium præstantibus.

Præcipio vobis dæmones, qui venistis in succursum & adiutorium istius, vel istorum dæmonum, hanc Dei creaturam N. vexantis, vel vexantium, ex parte S. Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus † Sancti, & sub pœna tradendi vos in potestatem inimicorum vestrorum, & sub pœna detrusionis in infernum per annos mille quatenus nullum adiutorium, vel fauorem detis illis dæmonibus, qui vexant corpus istius creaturæ Dei N. Sed discedatis statim, & eatis ad loca vobis deputata. Ecce † crucem Domini: fugite partes aduersæ, vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid.

Vobis autem Dæmones hanc Dei creaturam ausu temerario molestantibus sub eisdem pœnis præcipio, vt nihil penitus dicatis, aut faciatis, nisi quantum fuerit à Deo & à me specialiter concessum, & exeuntes ab ea, detis signum vobis impositum, & relinquatis eam, & omnem creaturam illæsam, vt laudem reddere possit Deo Redemptori suo. Cui laus, & honor, & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

Imponat exorcista manus ac reliquias super infirmum, dicens:

Extinguatur in te N. omnis virtus Diaboli per impositionem

nem manuum mearum, immò per inuocationem S. atque Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij & Spiritus Sancti & B.V.M. intercessionem, & omnium electorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & Continentium Dei, & precipuè omnium istorum Sanctorum, quorum reliquiæ hic sunt. In nomine Patris † & Filij † & Spiritus † Sancti. Amen.

Exorcismus I.

Exorcizo te N. Creaturam Dei infirmam, sed sacrosancto Baptismo renatam, per Deum viuum † per Deum sanctum † per Deum † qui te suo pretioso sanguine redemit: vt fias homo exorcizatus, & effugiant, atque discedant à te omnis phantasia, omnes & singulæ diabolicæ facturæ, ligaturæ, signaturæ, incantationes, fascinationes, præstigia, veneficia, strigaturæ, vnctiones, pacta, maleficia, quæ omnia authoritate Omnipotentis Dei destruo & pro destructis esse concerno, siue sint in domo, siue extra domum, siuè in liminaribus, siue in superliminaribus, siue in tecto, siue in pauimento, siue in scala, in gradibus ante portam, aut in via † siue sint in lecto † siue supra lectum, siue intra lectum, siue subtus lectum, siue in tabulis, siue in straminibus, opertoriis, capitialibus, aut in vestibus, in aulæis, in calceis † in arboribus, in possessionibus, in doliis, in cella vinaria, in vino, siue in aqua, siue sint facta in ferro, in ære, in stanno, in auro, argento viuo, lana, lino serico, siue in visceribus animalium, quadrupedum, reptilium, maritimorum, aut volatilium, siue in visceribus mortuorum, aut ossibus, neruis, siue in cibo, potu, siue intus, siue extra corpus, vel quouis alio modo, & loco, vel quouis alio malefico instrumento, omnia dissoluo & pro dissolutis decerno, & aufero à vobis potestatem amplius ea mouendi, aut agitandi, ac præcipio vobis maledicti diaboli, ac sociis vestris, vt amplius non habeatis potestatem manendi in hoc corpore à planta pedis vsque ad verticem capitis, sed statim exire debeatis cum omnibus maleficiis & sociis vestris. Per eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen,

Præcipio tibi quicumque es spiritus immunde in hoc corpore per merita gloriosæ passionis, resurrectionis, & ascensionis Domini nostri Iesu Christi per missionem Spiritus sancti:

&

& per aduentum eius: vt ostendas & dicas mihi nomen tuum, diem & horam exitus tui cum signo imposito. *Deinde legantur.* In principio erat verbum, &c. & Ductus est Iesus in desertum, &c. Matth. cap. 4. vt habetur 1. Dominica quadragesimæ. Arborem fici, &c. Lucæ 13.

℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

DEus misericordiæ, Deus clemens, qui secundùm multitudinem miserationum tuarum, quos diligis, corrigis, & pie ad emendationem coërces, te inuocamus Domine, vt famulo tuo N. qui in corpore patitur membrorum debilitatem, gratiam tuam conferre digneris, vt quidquid terrena fragilitate corruptum, quidquid diabolica fraude violatum est; vnitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere Domine gemituum; miserere lacrimarum eius, & non habentem fiduciam nisi in misericordia tua, ad tuæ sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ergo maledicte Diabole recognosce statim sententiam tuam, da honorem Deo vero, & viuo, da honorem Iesu Christo Domino nostro, da honorem B. V. M. vt recedas ab hoc Dei plasmate, cum tua factura, quem Dominus noster Iesus Christus redemit suo pretioso sanguine.

Exorcismus I I.

EXorcizo te N. creaturam Dei infirmam per misericordiam Dei Patris † Per Incarnationẽ Dei filij † & per virtutem Spiritus sancti †, vt fias creatura munda, & purgata ab omni labe iniquitatis ad recipiendam virtutem Spiritus sancti superuenientis, & eiicias omnem nequitiam sathanæ, & ministrorum eius ad inuocationem Altissimi, per eum qui descendens ad inferos confregit portas æreas, & confidenter reducens SS. Patres ad dexteram Dei sedet in gloria Patris. Amen.

Oremus.

DEus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilij tui super infirmum famulum tuum ostende virtutem, vt ope misericordiæ tuæ adiutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ, incolumis repræsentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ergo maledicte Diabole, &c. Vt supra.

Exorcismus

Exorcismus III.

Exorcizo te N. creaturam Dei afflictam, per potentiam Dei Patris † per sapientiam Dei Filij † per clementiam Spiritus sancti † per Deum Trinum in personis, & vnum in essentia, Deum viuum, & verum, vt ab omnibus spurcitiis dæmonum, facturis, ligaturis, signaturis, & incantationibus, sis sana, & libera, per eum, in cuius nomine es baptizata. Accipe Spiritus Sancti gratiam, per Regem Regum, & per Dominum Dominantium, cui honor & imperium est in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

Deus, qui facturæ tuæ semper pio dominaris affectu, inclina quæsumus aurem tuam supplicationibus nostris, & creaturam tuam diabolica infirmitate laborantem placatus respice, & visita in salutari tuo, cælestisque gratiæ præsta medicinam, per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ergo maledicte Diabole, &c. Vt supra.

Benedicat infirmum.

Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui, conuertat vultum sum ad te, & det tibi pacem, Dominus benedicat te N. Amen: Dominus Iesus Christus apud te sit † vt te defendat, Intra te sit † vt te conseruet: Ante te sit † vt te deducat: Post te sit † vt te custodiat. Super te sit † vt te benedicat. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto in Trinitate perfecta viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Aspergatur infirmus aqua benedicta in fine cuiuslibet exorcismi. Deinde.

Per hanc aquam benedictam, omnis spiritus immundus, & occursus Sathanæ separentur à te, & fugiat à nobis in nomine Patris † & Filij † & Spiritus † Sancti. Amen.

Exorcismus IV. Dæmonibus.

Præcipio ex parte sanctissimæ Trinitatis Patris † & Filij † & Spiritus † Sancti per merita sanctissimæ Passionis D.N.Iesu Christi. Per merita B.V.M. Beatorum. SS. NN. & omnium Sanctorum & sanctarum qui sunt in Paradiso, quod si fuit datum aliquid per maleficium ad comedendum, vel biben-

dum, creaturæ isti N. aut si vos maledicti diaboli portastis, in corpus suum, aut composuistis aliquid in eodem, non habeatis potestatem, vel facultatem, vel virtutem conseruandi, agitandi, vel mouendi ea, & quod moueatis ipsam potestatem, facultatem, & virtutem, & sitis astricti, dissipare omnem laqueum, nodum, & compositionem, quæ fuissent in prædictis rebus, & cogamini ea disiungere, separare, & remouere, à visceribus, ab intestinis † & ea per secessum emitti facere deorsum, vel per illa loca, quæ sunt magis expedita, & magis libera sine aliqua læsione animæ, & corporis istius Creaturæ N. ad honorem sanctissimæ Trinitatis Patris † & Filij † & Spiritus † Sancti. Amen.

Rursus si præsentialiter estis in hoc corpore, vel per aliqua maleficia. Præcipio vobis, ex parte Omnipotentis Dei, quod non habeatis potestatem standi, morandi, vel abscondendi vos in aliqua parte istius creaturæ N. Sed vi, & virtute Dei compulsi, & coacti decedatis, statim, & absque vlla mora cum omnibus maleficiis, compositionibus, vnctionibus, facturis, ligationibus, signationibus, infirmitatibus & languoribus, de cunctis membris, & partibus interioribus, & exterioribus, & abire ad loca vestra, & de cunctis pertinentibus ad ipsam creaturam N. Et Ego authoritate Omnipotentis Dei Iesu Christi D.N. Et S. Romanæ Ecclesiæ expello vos dæmones, cum omnibus vestris maleficiis & facturis, de capite † de Vertice † de suturis † de ossibus † de pelle † de capillis † de pericranio † de medullis † de meningibus † de cartilaginibus † de neruis † de principiis neruorum † de collo † de nuca † de auribus † de temporibus † de fronte † de ciliis † de superciliis † de oculis † de palpebris † de pupillis † de tunicis oculorum † de naribus † de facie † de maxillis † de genis † de labiis † de ore † de dentibus † de gengiuis † de palato † de lingua † de superlingua † de faucibus † de gutture † de sublingua † de aspera arteria † de mento † expello vos de spatulis † de humeris † de dorso † de spina † de musculis † de brachiis † de cubitis † de pulsibus † de digitis † de iuncturis † de vnguibus † expello vos de pectore † de mammillis † de fundo † de ore ventriculi † Expello vos de corde † de præcordiis † de splene † de pulmone † de pleura † de diaphragmate † de hepate † de felle † de intestinis inferioribus & superioribus † de maioribus & mi-

noribus † de ventre † de vmbilico † de circumstantibus illum † de pudendis † de vasibus seminalibus † de genitalibus † de vesica † de quatuor humoribus † Expello vos de renibus † de subtus renibus & supra † de spinali medulla † de femoribus † de genibus † de tibiis † de suris † de talis † de pedibus † de membranis † de villis † de venis † de arteriis † de cuticula † de cute † de adipe † de panniculo carnoso † de peritoneo † de coctione communi † de mezenterio, & pancrea † de liene † de cunctis membris & partibus † Imo de domo, de vestibus, de bonis eius, de cunctis pertinentibus ad ipsam creaturam N. & non habeatis potestatem, in aliqua istarum partium stare, vel vos abscondere. Cedite maledicti, date gloriam Deo, date gloriam Iesu Christo D. N. date gloriam, & honorem B. V. M.

Ecce crucem † Domini N. I. Christi, fugite partes aduersæ: vicit Leo de tribu Iuda, Radix Dauid. Christus vincit † Christus regnat † Christus imperat.

℣. Domine exaudi, &c.

℣. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

Deus, qui B. Petrum à vinculis absolutum illæsum abire fecisti, eius quæsumus absolue vincula maleficiorum, & omnia mala, ab eo propitius exclude: qui viuis, & regnas, in sæcula sæculorum. Amen.

Dominus soluit compeditos, Dominus erigit elisos, & vias peccatorum disperdet: Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo. Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum. Vox Domini confringentis cedros, & confringens Dominus cedros libani. Dominus noster Iesus Christus, qui dixit discipulis suis, qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit, & quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata, & in cælo, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta, & in cælo. Qui educit vinctos, in fortitudine, & in vinculis, non derelinquit sanctos suos: ipse absoluat te N. ab omni maleficio ligatura, signatura, factura, incantatione dæmonum, & ministrorum eius, & ab omni malo. Amen.

Exorcismus V. Dæmonibus.

Maledicti, excommunicati, & rebelles sitis in pœna æternali, & nulla requies sit in vobis, si statim non eritis obedientes præceptis meis, in virtute Dei, & Domini nostri Iesu Christi: & verbis, quæ dicuntur de illo, qui orbem contremere facit. Recedite statim de creatura ista N. & de domo eius per virtutem istorum verborum Hel † Heloym † Heloa † Eheye † Tetragramaton † Adonay † Saday † Sabaoth Soter † Emmanuel † Alpha † & Omega † Primus & nouissimus † Principium & Finis † Hagios † Ischyros † Hotheos † Athanatos † Agla † Iehoua † Homousion † Ya † Messias † Esereheye † Erimanuel † Primogenitus † Sapientia † Virtus † Sol † Splendor † Lux † Gloria † Panis † Fons † Origo † Salus † Mons † Ostium † Petra † Verbum † Sponsus † Pastor † Propheta † Mediator † Agnus † Ouis † Vitis † Veritas † Via † Leo † Lumen de lumine † Vita † Paradisus † Magnus † Serpens † Vermis † Imago † Flos † Lilium † Ianua † Lapis angularis † Sponsus † Sacerdos † Aquila † Paracletus † Auis † Columba † Sanctus Deus † Sanctus fortis † Princeps pacis † Pater futuri sæculi † Sanctus & immortalis † Dominus Iesus Christus Nazarenus Rex Iudæorum † Per ista nomina Sanctissima, & per omnia alia, quæ reperiuntur in sacris Scripturis & dicuntur de Creatore omnium creaturarum, & de Iesu Christo Domino nostro. Impero vobis Angelis sathanæ ita præsentes, sicut absentes, vt exeatis, & recedatis cum omnibus maleficiis, incantationibus, ligationibus, fascinationibus, facturis, signaturis, & omnibus iniquitatibus vestris ab hac creatura Dei N. & eatis ad loca arida, & inaquosa, vbi nec aratur, nec seminatur, nec nomen Domini inuocatur, nec nominatur.

Imperet vobis Deus Pater † Deus Filius † Deus Spiritus † Sanctus, Increatus Pater † Increatus Filius † Increatus Spiritus † Sanctus, Omnipotens Pater † Omnipotens Filius † Omnipotens Spiritus † Sanctus. Sicut deficit fumus, sicut fluit cera à facie ignis, sic deficiant, & pereant peccatores à facie terræ.

Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo Salutari meo. Auerte Domine mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos, confringam illos, nec poterunt sta-

re, cadent subtus pedes meos.
℣. Domine exaudi, &c.
℣. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

DEus, qui B. Petro Apostolo tuo collatis clauibus regni cælestis ligandi, atque soluendi Pontificium tradidisti: concede, vt eius meritis, & intercessione famulus tuus ab omni vinculo maleficiorum, misericorditer liberetur. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Psalmi dicuntur.

In Domino confido, &c.
Deus in nomine tuo, &c.
Domini est terra, &c. Vel Iudica Domine nocentes me, &c.

Exorcismus VI. Dæmonibus.

De mandato Dei Omnipotentis, qui cuncta ex nihilo creauit, qui vt tuam superbiam vinceret, suâ humilitate factus est omnibus humillimus, & infirmus: disce té humiliare, & sub pedibus nostris incuruare in nomine suo, & si ades in hoc corpore per aliquod maleficium, statim te manifestare, & solutis omnibus maleficiis recede, & relinque Creaturam istam sanam, & liberam sicut erat prius, date Gloriam Deo nostro Patri & Filio, & Spiritui Sancto, Finis.

CAPVT XVIII.

Exorcismus B. V. Mariæ.

S*Acerdos dicat* Litanias B.V.M. *In fine antiphona* Sub tuum præsidium, &c. Pater noster, &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. Canticum B.M.V. Magnificat anima mea, &c.
℣. Saluum fac seruum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eum.
℣. Domine exaudi, &c.
℣. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

GRatiam tuam, quæsumus, &c.

Oratio.

O Sola spectantium omnium spes Maria Regina cælorum, & tribulatorum piissima consolatrix: propter illas te precamur angustias, in quas in acerbissima passione, & ignominioso crucis patibulo dulcissimi filij tui sustulisti; quatenus huic Dei creaturæ à Dæmonibus vexatæ tua pietate subuenias, ne corpus eius ab his maledictis vlteriùs torqueatur, nec insidiis anima circumdetur. Per Filium tuum dulcissimum Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Potentia Dei Patris, &c. vt suprà pag. 109. Vsque ad exorcismum primum.

Præceptum dæmonibus de se manifestando.

Si adestis dæmones in hoc corpore intus vel extra per aliquod maleficium, facturas, ligaturas, signaturas, fascinationes, incantationes, præstigia, veneficia, strigaturas, vnctiones, pacta, maleficia, vel quouis alio modo præsentialiter; virtualiter, aut potestatiuè. Præcipio vobis in virtute Dei omnipotentis, vt statim absque vlla mora manifestetis vosmetipsos, inferendo aliquam læsionem illis partibus corporis, in quibus estis, vel causando palpitationem & anxiam circa cor, vel pulsationem circa collum, in signum præsentiæ vestræ tantum. Imperat vobis Deus Pater † Imperat vobis Deus Filius † Imperat vobis Deus Spiritus † Sanctus Omnipotens.

Solutio Maleficiorum.

Coniuro vos † adiuro, & contestor, exorcizo, atque dissoluo † omnes spiritus maledictos, qui estis ligati super istam creaturam Dei N. per omnes supradictas virtutes Domini nostri Iesu Christi. & S.V. ac omnium sanctorum, & electorum Dei, ac per omnes orationes, & exorcismos, quibus potestis damnari, exorcizari, & constringi: vobis præcipio vt recedatis, & exeatis ab isto humano corpore sine læsione & nocumento huius creaturæ, & omnium fidelium, non obstantibus quibuscum

quibuscumque diabolicis facturis, ligaturis, incantationibus, fascinationibus, præstigiis, veneficiis, strigaturis, adorationibus, precationibus, ceremoniis, mandatis, pactis, maleficiis & operibus tacitis, aut expressis, iuratis, vel non iuratis, publicis, vel priuatis, factis aut faciendis, vel quibuscumque verbis, Symbolis, & rebus diabolicis, aut humanis, sanctis, sacris, vel profanis, quacumque via, forma, ordine, numero, conditione, vinculo, modo, caractere, sigillo, circunstantiis, conditionibus, & clausulis annexis, vel connexis, & appendicibus appositis, vel non appositis, in quibuscumque verbis, Symbolis, signis, & rebus sublunaribus, igne, aëre, aqua, terra, mixtis imperfectis, inanimatis, vegetabilibus, sensibilibus, & rationabilibus, vbicumque locorum, & gentium, per quæcumque temporum momenta, per quoscumque diaboli ministros, seu ministras, plures vel pauciores, sacros, vel profanos, amore, vel odio, vel quacumque de causa, quæcumque illæ sint, cum quibuscumque Principibus, & diabolis, cuiuscumque conditionis, gradus, naturæ, officij, superioritatis, & ordinis, contra hanc creaturam Dei N. Quæ omnia singula penitus, & omnino de verbo ad verbum reuoco, termino, dissoluo, destruo, explanto, extirpo, eradico, disperdo, extinguo, irrito, casso, & omni meliori modo Ecclesiastico annihilo, in nomine, vice, verbo, auctoritate, & persona Iesu Christi, in fide Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ex hoc, nunc, quolibet instanti temporis, vsque ad diem iudicij, toties, quoties, ita vt semper sim vltimus in reuocando, in terminando, dissoluendo, destruendo, explantando, extirpando, eradicando, disperdendo, extinguendo, irritando, cassando, & omni meliori modo Ecclesiastico annihilando. Apellando in omni defectu meo, aut huius creaturæ N. & omnium ad nos, nostraque pertinentium diuinam misericordiam, & merita omnia, & singula vtriusque Ecclesiæ militantis, & triumphantis; Atque per omnia & singula illa, per quæ ex parte Iesu Christi, adiurari, coniurari, cogi, arctari, ligari, constringi, exorcizari, fugari, cruciari, damnari, & omni meliori modo Ecclesiastico, oporteat, liceat, & possit, pono, mando, & vobis omnibus dæmonibus impero vt recedatis ab hac creatura Dei N. & eam sanam, & totaliter liberam relinquatis, maledictio Dei Patris Omnipotentis, & Filij, & Spiritus Sancti, & indignatio S. V. Mariæ, &

omnium Angelorum, & sanctorum, & sanctarum Dei, & totius curiæ cælestis & omnium creaturarum statim sine mora, cum furore maximo descendant super Luciferum, Belzebub, satan, & super omnes Principes dæmoniorum, & non sit, qui eis obediat, nec illos timeat, nec veneretur, sed omnes dæmones contra illos statim irruant, per virtutem, & in virtute omnium nominum omnipotentis Dei, si vobis omnibus immundissimi spiritus & tibi maledicte Dæmon in subsidium venerint deinceps, & sit omnis potentia tua, & virtus confracta per virtutem magni & Omnipotentis Dei, sic, & aliter quod non valeas deinceps habitare in isto corpore, non sit qui tibi & omnibus aliis subsidium aliquod præstet, imò te expellant statim ab hac creatura Dei N. sine læsione ipsius, & omnium Christianorum nocumento, & terrore, & vsque ad inferiorem locum inferni te prosternant inde nullatenus exiturum per eum, qui diem statuit & per omnia sanctissima eius opera & omnes virtutes, & omnia. Amen.

Præceptum de manifestando nomen, diem, & horam exitus dæmonis

Præcipio tibi, quicumque es spiritus immunde in hoc corpore per merita B. V. Mariæ: vt ostendas, & dicas mihi nomen tuum, diem, & horam exitus tui cum signo extinctionis luminis.

Hic exorc ista interrogare poterit de numero, nomine spirituum obsidentium, de tempore, quo ingressi sunt, & aliis huiusmodi positis cap. 15. huius libri.

Deinde legantur super obsessum hæc Euangelia. Sequentia S. Euangelij secundum Lucam cap. 1. Missus est Angelus Gabriel, &c. & 12. lectiones, quæ dicuntur singulis mensibus in officio B. Mariæ in sabbato.

℣. Domine exaudi, &c.

℣. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

O Maria Virgo fugatrix Dæmonum, & maleficiorum dissipatrix, ne hæc creatura N. ad imaginem, & similitudinem filij tui creata, vlteriùs crucietur, succurre; & preces nostras, quas auribus tuæ pietatis, & misericordiæ offerimus, exaudi; vt te adiuuante, tormenta dæmonum non timeat

meat, sed desideratam sanitatem tuo pio interuentu obtineat. Per Iesum Christum filium tuum crucifixum, & nunc regnantem in sæcula sæculorum. Amen.

Aspergat N. aqua benedicta.

Ergo maledicte diabole, &c. vt supra in primo exorcismo pag. 112.

Exorcismus II.

Exorcizo te creaturam Dei N. infirmam, per Deum trinum, & vnum, qui Mariam Virginem sibi in sponsam & matrem elegit, & per merita ipsius Matris, & sponsæ æterni Dei te exorcizo, vt efficiaris creatura potens, ad conquassandum, & dissipandum omne opus diaboli, & ipsum maledictum cum operibus suis fugandum, in nomine eiusdem Trini, & vnius Dei, eiusque Matris, & sponsæ regnantis in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

Concede hanc creaturam tuam N. quæsumus Domine Deus perpetua mentis & corporis sanitate gaudere, & gloriosa B. Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum crucifixum, qui nunc viuit & regnat, &c.

Ergo Maledicte diabole, &c. Vt suprà.

Exorcismus III.

Exorcizo te N. creaturam Dei afflictam, per vnigenitum filium Gloriosæ Virginis Dominæ cæli & terræ, qui eius sanctissimum lac proprio ore suscepit, & per conceptionem, natiuitatem, purificationem, assumptionem, virginitatem, per merita, & per omnia bona, quæ dici & cogitari possunt de B.V. Maria te exorcizo, vt efficiaris creatura potens ad destruenda omnia maleficia, facturas, ligaturas, signaturas, incantationes & omnes spurcitias diaboli, & ipsum maledictum cum operibus suis fugandum, in nomine eiusdem Trini & vnius Dei, eiusque Matris, & sponsæ regnantis in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

O Gloriosa Virgo Domina cæli & terræ sanctissima Mater Domini N. I. Christi, ut hæc creatura, ad imagi-

rem, & similitudinem filij tui creata, vlteriùs torqueatur, succurre; & preces nostras, quas auribus tuæ pietatis, & misericordiæ offerimus exaudi, vt te protegente Beatissima per vnigenitum filium tuum, & per tua ineffabilia merita, cruciatus Diaboli non timeat, sed desideratam liberationem, præseruationem, & auxilium contra omnes malignos spiritus, consequatur. Per Iesum Christum filium tuum crucifixum, & nunc regnantem in sæcula sæculorum. Amen.

Ergo maledicte diabole, &c. Vt supra.

Extinguatur in te omnis virtus diaboli, per inuocationem omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum,& Dei electorum,quos humiliter precor,vt dignentur orare pro te Deum, vt per suam piissimam misericordiam, & per crucem, & mortem Iesu Christi, & per merita B.V.M. te adiuuent, liberent, conseruent, & custodiant ab omnibus spiritibus immundis.

Sancta Maria Mater D. N. I. Christi in manus tuas commendo hodie,& semper animam nostram, consilium nostrum, oculos nostros, manus nostras, pedes nostros, & totum corpus nostrum, custodi nos, ô Domina, à periculis diabolorum, & ministrorum eorum, & ab omni opere satanæ, à viis malis, à tentationibus diaboli, & pœnis inferni, & illumina cor nostrum Spiritu sancto, & à te nunquam separari permittas. Amen.

Aspergatur infirmus aqua benedicta in fine cuiuslibet exorcismi.

Exorcismus IV.

De mandato Dei omnipotentis, qui facit mirabilia magna solus, qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, excussit Pharaonem, cum exercitu eius in mare, qui percussit Regem Amorrhæorum, & Og Regem Basan, & omnia Regna Chanaan. Præcipio vobis, vt statim dissoluendo omnia maleficia, incantationes, facturas, ligaturas, signaturas, præstigia, veneficia & omnia opera diaboli, discedatis de cunctis membris istius creaturæ Dei, & non habeatis amplius potestatem vexandi creaturam istam, nec exterius, nec interius, per merita B. V. Mariæ, per immaculatam eius conceptionem, per

Natiuitatem

Natiuitatem eius, per Annunciationem eius; per gaudia, & dolores eius, per assumptionem eius in cælum, per gloriosam exaltationem eius super choros Angelorum, per omnes virtutes, & dona eius, obedite rebelles gloriosissimæ Virgini, date ei honorem, & gloriam, quia ipsa vos cogit, ipsa vos conterit, ipsa vos imperat, ipsa vos vrit, &c. Recedite ergo omnes & singuli immundi spiritus cuiuscumque conditionis, gradus, naturæ, officij, superioritatis, & ordinis, cum omnibus & singulis diabolicis facturis, ligaturis, signaturis, incātationibus, fascinationibus, præstigiis, veneficiis, strigaturis, pactis, maleficiis, & operibus omnibus vestris statim sine mora, sine offensione alicuius creaturæ, exceptis diabolis, eorumque ministris, per virtutem omnium præceptorum, maledictionum, & pœnarum omnium exorcistarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Recedite dico à capite † à sincipite † ab occipite † à capillis † à pelle † à musculis capitis † à pericranio † ab ossibus † à suturis † à dura matre † à pia matre † à substantia cerebri † à ventriculis cerebri † de principiis neruorum † de neruis † de auribus † de temporibus † de fronte † de ciliis † de superciliis † de palpebris † de oculis † de organis oculi † de naribus † de facie † de mandibulis † de genis † de labiis † de ore † de dentibus † de gingiuis † de palato † de lingua † de sublingua † de faucibus † de gutture † de collo † de aspera arteria † de œsophago † de spatulis † de humeris † de dorso † de medulla spinali † de cartilaginibus dorsi & pectoris † de mammis † de sterno † de costis † de mucronata cartilagine † de pulmone † de mediastino † de pleura † de diaphragmate † de corde † de brachiis, de eorum ossibus † de brachiali † de focili maiore & minore † de digitis † de vnguibus † de abdomine † de peritoneo † de ventriculo † de ore ipsius superiore & inferiore † de tunicis eiusdem † de intestinis subtilioribus & crassis † de Pancreas † de mezenterio † de venis lacteis † de hepate † de liene † de arteria magna † de vena caua & porta † de renibus † de mulgentibus † de vasis spermaticis † de vesica † de collo & tunica vesicæ † de adipe † de omento † de pedibus † de ischio † de ileo † de pube † de femore † de genu † de rotula † de tibiis maiori & minori † de musculis, cartilaginibus, venis, & arteriis vniuscuiusque mēbri † de sensibus exterioribus & interioribus † de potentiis † de habitibus † de affectibus † de omnibus & singulis

lis partibus † de vestibus † de locis † de rebus & cæteris pertinentibus † ad ipsam: & sic nunc & semper separati sitis ab hac creatura Dei N. sicut separauit Deus cælum à terra, lucem à tenebris, veritatem à mendacio, bonum à malo, infernum à Paradiso, & vos diabolos malos, ab Angelis bonis, per eum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos & sæculum per ignem.

Ecce crucem † Domini, &c. Vt supra.

℣. Domine exaudi, &c.

℣. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

DEus, qui salutis æternæ, &c.

Exorcismus V.

Coniuro te † siue vos Dæmones vt hanc creaturam Dei liberam relinquatis, per B. V. Mariam in cuius natiuitate gauisa est S. Trinitas, Pater de nobilissimæ, & iucundissimæ filiæ suæ ortu, Filius de natiuitate dilectissimæ Matris; & Spiritus Sanctus de dignissimo suæ sponsæ habitaculo: gauisi sunt sancti Patres in Limbo, & tota generatio humana, quia hæc natiuitas victoriam de te superbo futuram, & salutem mundo nunciabat; Hæc enim virgo benedicta non solum Liber generationis Iesu Christi est, sed etiam omnium saluandorum. Coniuro vos per nobilitatem Virginis Mariæ, quæ ex multis Regibus, Patriarchis, Ducibus, Prophetis, & Principibus nata, & ex multis Doctoribus, summis Pontificibus viris strenuis, & fortibus orta est. Coniuro vos per sancta nomina, quæ sancti Patres de ea dictitarunt, quorum Epiphanio visa est Thronus diuinitatis † Chrisologo Templum Deitatis † Andreæ Cretensi Thesaurus sanctissimus sanctitatis † maximum tabernaculum gratiarum Dei † commune propitiatorium † ad quod peccatores confugiunt ad consequendos fauores & gratias. Damasceno Abyssus gratiæ † Hieronymo, Hortus delitiarum † in quo omnes species florum sanctarum virtutū pulchrè ordinatæ sunt. Ignatio prodigium cæleste † & sacratissimum spectaculum † Hildephonso sacrarium Spiritus sancti † & flos omnium Virginum † Petro Damiano locus voluptatum † Bernardo stella Iacob † cuius radius illuminat vniuersum. Gregorio Thaumaturgo officina miraculorum †

Crisippo

Crisippo armarium vitæ † Germano finis seu terminus maledictionis † Hospitale peccatorum † Basilio, Arbor vitæ † Ephrem Siro. Canalis † Spiritus Sancti Birgittæ. Portus indulgentiæ † Bonauenturæ. Templum Misericordiæ † Anselmo. Insignis bellatrix † Alcuino, Conclauis Trinitatis † Alberto. Candelabrum † aureum Methodio. Magnum Miraculum † Chrysostomo. Altior cælo †. Mater gentium † Forma Dei † Domina Angelorum † Augustino. Coniuro † vos per sapientiam, intelligentiam, charitatem & honestatem eius. Coniuro † vos per præsentationem eius in Templo, per desponsationem eius Ioseph, per annunciationem & per mysteriorum dialogum inter eam, & Gabrielem factum, per visitationem eius ad Elisabeth, per partum eius, per purificationem eius, per acerbitatem eius dolorum, quam in passione vnigeniti filij habuit, per assumptionem eius. Præcipio † denique tibi nefandissime Spiritus vt recedas ab hac creatura, per Mariam fontem supernæ gratiæ, arcum fœderis sempiterni, positum in nubibus cæli, ne interficiatur omnis caro, recede ergo in nomine † Patris, & Filij † & Spiritus † Sancti. Amen.

℣. Domine exaudi, &c.

℣. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

Concede misericors Deus fragilitati, &c.

Dicuntur tres psalmi officij parui B. Mariæ, vel qui dicuntur feria 2. & 5. ad nocturnum; vel qui dicuntur feria 3. & 6. vel qui dicuntur feria 4. & sabbato.

Protestatio & condemnatio.

Alioquin meis non obediendo mandatis condemno vos æternaliter, vsque ad vltimum inferni profundum, pœnæque vestræ semper augeantur in centies centena millia, & millies millia millium plusquam pœnæ eorum, qui in imo baratro cruciantur, iterum sub pœna mittendi vos in stagnum ignis & sulphuris æternaliter, de cuius ore exeat gladius bis acutus, & deuoret vos perpetualiter, quemadmodum imperauit Deus in illo turpissimo loco, impero vobis, vt meis obediatis mandatis. Coniuro etiam vos sub pœnis supradictis & aliis per centies centena millia, semper adiungendis, vt statim, & sine mora meis obediatis mandatis supradictis, & hoc impero vobis

vobis non mea virtute, & auctoritate, sed nomine ipsius, qui vos de cælo præcipitauit ob superbiam, & inuidiam vestiam. Ac etiam præcipio omnibus principibus, & magistris, ac omnibus inimicis vestris qui habent super vos auctoritatem, vt ne ignoretur vobis imminere supradictas pœnas aliasque centies centena millia, & millies centena millia semper adiungendas, si statim, & sine mora & momento non cogant vos meis obedire mandatis, & deinde exire realiter de corpore istius creaturæ N. Et non obediendo feram contra vos sententiam maledictionis, & excommunicationis, & condemnationis vestræ in stagnum ignis & sulphuris æternaliter. Maledico, & excommunico, eiicio, & percutio vos maledictos diabolos in virtute sanctissimæ Trinitatis Patris † & Filij † & Spiritus † Sancti. Maledicat vos Deus Pater, maledicat vos Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus, & eiiciant, & percutiant vos omnes inimici vestri diaboli, & princeps vester Sathan; & vos maledicti estote in hoc corpore, & extra in aëre, aqua, igne, terra, & vbicumque futuri eitis, & patiamini pœnas importabiles, & afflictionem vestram nimiam nisi statim recedatis de corpore istius creaturæ N. Dei cum omnibus maleficiis, & incantationibus vestris; nec vnquam ad eam redituri. Amen.

CAPVT XIX.

Exorcismus. Pro ligatis in Matrimonio.

I. *Confessionem faciant suorum peccatorum, postea cum magna fide, & spe curationis, cum confidentia in Deo omnipotente, qui facit mirabilia magna solus & in meritis passionis Iesu Christi, & B.V. & sanctorum intercessione, genuflectant coram sacerdote, & tunc idem sacerdos manibus impositis super capita eorum dicat.*

Extinguatur in te, vel in vobis N. &c. Vt supra.

Exorcizo te, &c. Etiam Vt supra.

Deinde dicuntur Psalmi, Beati omnes, qui timent Dominum, &c. In Domino confido, &c. & Domini est terra, &c. ℣. Saluos fac seruos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Esto

℣. Esto nobis Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in eis.
℟. Et filius iniquitatis,non apponat nocere eis.

Oratio.

DEus qui B. Petrum, &c. Vt supra.

Absolutio maleficiorum.

Authoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, à S. Romana Ecclesia, mihi concessa absoluo te N. Creaturam Dei, ab omnibus maleficiis, incantationibus, ligaturis, & signaturis tibi factis; arte diabolica, & omnia opera diabolica destruo, annihilo, extirpo, & eradico ab omnibus membris tuis, vna cum omnibus infestationibus, molestiis, doloribus, vexationibus, passionibus, & impedimentis, quomodocumque & qualitercumque tibi factis, vt recedas à creatura ista maledicte diabole, & sociis de cunctis partibus eius, & virtute diuina coacti omne ligamen, & impedimentum dissoluatis quomodocumque factum, vel compositum, & sinatis ei facere omnes operationes suas naturales, & supernaturales, rectè, & ne habeatis potestatem eos impediendi. Christus vincit † Christus imperat † Christus regnat †

Secundus Exorcismus.

Iterum exorcizo te creaturam Dei, &c. supra pag. 121. vsque ad destructionem maleficiorum inclusiuè.

Et postea dicitur. ℣. Domine exaudi, &c.
℣. Saluos fac seruos tuos, &c.
℣. Esto eis Domine turris fortitudinis, &c.
℣. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

DEus qui in Paradiso Terrestri Matrimonium instituisti in officium, siue conseruationem, & multiplicationem humanæ naturæ, *Gen.* 3. & ipsum matrimonium mirabiliter honorasti, in aduentu tuo, & primordiis miraculorum tuorum. Tu per merita B.V.M. Et precibus eius, & B.N. & omnium sanctorum & sanctarum tuarum digneris hos famulos tuos, quos matrimonialiter coniunxisti, benedicere, & plene liberare, ab omni ligamento, fascinamento, & maleficio sathanæ, & dare eis fœcunditatem, & gratiam, vt possint vti

matrimonio suo, ad generandum proles Deo gratas & hominibus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Iesus Mariæ Filius, Mundi Salus, Dominus sit vobis clemens, & propitius. Amen.

Post dicuntur Psalmi. Qui habitat, &c. Iudica Domine nocentes me, &c. Et Credidi propter quod, &c.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, &c. Et ne nos inducas, &c.

Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos, qui educit vinctos in fortitudine.

Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

DEus qui vterum B.M. mirabiliter fœcundasti, vt de Spiritu sancto conciperet, portaret, pareret, & nutriret, Te Deum, & hominem saluatorem: inuocamus clementiam tuam, vt his famulis tuis N. N. (remoto omni dæmonis impedimento, & maleficio) fœcunditatem donare digneris, & generare, & concipere, portare, parere, & nutrire, Tibi prolem valeant, in vitam æternam. Amen.

In nomine Patris, &c.

Iesus Mariæ Filius, mundi Salus, & Dominus, qui B.V.M. Matri suæ felicem partum tribuit: ipse tibi concedat, vt possis in vtero portare, fouere, parere & bene nutrire prolem Deo, & hominibus gratam. In nomine Patris † & Filij † & Spiritus sancti. Amen.

Oratio Annæ. 1. Reg. 1.

EXercituum Domine si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque seruæ tuæ sexum virilem; dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius. Amen.

CAPVT XX.

De pueris affectis morbis magicis.

IN nomine Patris, &c. Pater noster, &c. Aue Maria, &c. Ex ore infantium, & lactentium Deus perfecisti laudem propter inimicos tuos. Laudate-

Laudate pueri Dominum,&c.Ex ore infantium, &c.repete.
℣. Dominus vobiscum.

Sequentia S. Euangelij secundum Matth.

IN illo tempore accesserunt discipuli ad Iesum dicentes; quis putas maior est in Regno Cælorum? & aduocans Iesus paruulum statuit eum in medio eorum, & dixit. Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in Regno cælorum, & qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscepit: qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis, necesse est enim, vt veniant scandala. Væ tamen homini illi, per quem scandalum venit. ℟. Laus tibi Christe Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.
℣. Sinite paruulos venire ad me.
℟. Illorum est enim Regnum Cælorum.
℣. Domine exaudi, &c.
℣. Dominus vobiscum, &c.

Oremus.

DVlcissime Domine Iesu Christe, qui ob multitudinem miserationum tuarum vt saluum faceres genus humanum de cælo ad terram descendisti, te supplices deprecamur, vt per gloriosissimam natiuitatem tuam, per baptismum, & sanctum ieiunium tuum; per crucem, & passionem tuam, per mortem, & sepulturam tuam, per sanctam resurrectionem tuam, & per admirabilem ascensionem tuam, super hunc puerum famulum tuum. N. infirmum rorem tuæ benedictionis infundas, atque eum, à qua detinetur infirmitate liberes, & ab omni malo protegas, & defendas.

Deinde dicatur Concede nos famulos tuos, quæsumus, &c.
Actiones nostras quæsumus Domine, &c.
Benedictio Dei Patris omnipotentis, &c.

℣. Sequentia S. Euangelij secundum Matth.

IN illo tempore: cum introisset Iesus Capharnaum accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet in domo paraliticus, & male torquetur. Et ait illi

Iesus. Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit, & alij veni, & venit; & seruo meo fac hoc, & facit. Audiens autem hoc Iesus miratus est, & sequentibus se dixit. Amen dico vobis non inueni tantam fidem in Israël: dico autem vobis, quod multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in Regno Cælorum. Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium, & dixit Iesus Centurioni, Vade & sicut credidisti fiat tibi: & sanatus est puer ex illa hora. ℟. Laus tibi Christe.

Psalm. 83. *Contra hostes populi Dei & spiritus nequam.*

Deus qui similis erit tibi ne taceas, neque compescaris Deus, &c.

CAPVT XXI.

Si Energumenus non fuerit liberatus, & tamen, vrgente necessitate, dimittenda sit coniuratio, tunc fiat sequens praeceptum omnibus spiritibus remanentibus.

PRæcipio, mando, & impero omnibus spiritibus, qui estis in hoc corpore, in nomine S. Trinitatis Patris † & Filij † & Spiritus † sancti sub pœna immersionis in stagnum ignis & sulphuris per annos mille statim ab exitu vestro, quatenus non habeatis auctoritatem ascendendi superius ad caput, ad cor, ad sensus omnes, vel ad membra huius creaturæ Dei N. & ipsam lædendi, sed cogamini manere deorsum, scilicet in vngula mortua digiti parui pedis sinistri vbi vos ligaui, & denuò ligo, donec vocati fueritis à me, seu ab alio exorcista, vel permissi à Deo ascendere ad honorem ipsius, ad salutem huius creaturæ, & ad confusionem vestram, vel ad augmentum

tum pœnarum vestrarum, & relinquatis ipsam orare, comedere, bibere, quiescere, & omnia illa agere, quæ spectant ad honorem Dei, sub omnibus hoc vobis impero præcipio & mando aliis exorcismis, & pœnis omnibus supra factis, ac per omnes alios exorcismos & pœnas, per quæ possitis exorcizari, ligari, atque constringi, quæ omnia volo, & intelligo contra vos omnes de verbo ad verbum dicta, & replicata, & ita auctoritate, qua fungor ligo vos in loco assignato. In nomine Patris † & Filij † & Spiritus † sancti. Amen.

CAPVT XXII.

Gratiarum actiones pro energumeno liberato.

Cum liberatus fuerit obsessus dicatur.

TE Deum laudamus, &c.
Quo finito dicitur.
℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.
℟. A templo sancto tuo, quod est in Hierusalem.
℣. ostende nobis Domine misericordiam tuam, &c.
℣. Domine exaudi, &c. ℣. Dominus vobiscum, &c.

Oratio.

GRatias agimus tibi Domine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, gratias agimus tibi Christe, Verbum æterni Patris, gratias agimus tibi Spiritus alme, gratias agimus sanctis omnibus, tum Angelis, tum hominibus, quia omnipotenti virtute Dei per nostras manus elisus est draco. Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob miserere famulo tuo N. quem à diabolica potestate liberasti, & in eius adiutorium sanctum dirige Michaëlem, qui eum protegat, visitet, atque defendat ab omnibus inimicis suis; Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio.

OMnipotens sempiterne Deus, qui liberare dignatus es hunc famulum tuum N. ab omni vexatione sathanæ, & ministrorum eius, mitte ei septiformem spiritum sanctum tuum Paracletum de cælis. ℟. Amen. Spiritum sapientiæ, & in-

tellectus. ℟. Amen. Spiritum consilij, & fortitudinis. ℟. Amen. Spiritum scientiæ, & pietatis. ℟. Amen. Adimple eum Spiritu timoris tui, & signa eum in vitam propitiatus æternam. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum, &c.

Oratio.

TE Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum Sanctum Paracletum, sanctam, & indiuiduam Trinitatem toto corde confitemur, laudamus, atque benedicimus tibi gratias agentes, quia tua virtutè hodie confusus, turbatus, verberatus ac denique expulsus est diabolus cum sociis suis de hac creatura tua N. quam per filium tuum vnigenitum redimere dignatus es. Quæso igitur te Domine Sancte Pater Omnipotens, æterne Deus, Sancta Trinitas, virtus vna, atque infinita Maiestas, Deus noster Omnipotens, vt hanc creaturam tuam N. custodire, & defendere digneris per sanctos Angelos tuos, ab omni incursu sathanæ, & ministrorum eius, & infunde super eam benedictionem tuam sanctam. Per Christum Dominum nostrum, &c.

Ecce crucem † Domini, fugite partes aduersæ. Vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, Iesus Christus B.V. Mariæ, filius, mundi salus, & Dominus, qui dixit discipulis suis: in nomine meo dæmonia eiicient, ipse impleat verbum suum, & sit tibi propitius, & clemens, & hoc signum S. Crucis † sit sibi Clypeus, & munimen aduersus omnes insidias diaboli. Amen.

Oratio.

SAnctificet te Deus signaculo S. Crucis † suæ vt recedant à te omnes inimici tui. Defendat te Iesus Christus filius Dei viui per signum S. † Crucis. Defendat † te Deus ab omnibus malis præsentibus, & futuris, exterioribus, & interioribus. Signo † te signaculo S. Crucis, vt à persecutionibus diaboli liberet te Deus signaculo huius crucis † prosternantur ipsi diaboli aduersarij tui, & fugiant à te. Per istius S. Crucis † signaculum liberet te Deus à periculis mundi, & mittat Sanctos Angelos suos, qui te custodiant. Benedictio Dei Patris † & Filij † & Spiritus † sancti sit super te. Benedictio Iesu Christi † sit super te. Virtus S. Crucis † sit super te, intra te, circa te, ante te, post te, & in omnibus partibus tuis. Benedictio B. Mariæ Matris Dei sit super te. Benedictio † Patriarcharum, Prophetarum,

Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, confessorum, Virginum, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei sit super te. Amen.

Oratio.

SAncte Michaël Archangele, defende creaturam istam N. in prælio, vt non pereat in tremendo iudicio; per gratiam, quam meruisti, te deprecor, vt eruas eam ab omnibus periculis animæ & corporis, & ab vniuersis insidiis dæmonum, & custodias eam, vt omnes spiritus maligni non possint nocere ei in quocumque loco fuerit. Per Iesum Christum saluatorem nostrum. Amen.

Hic sacerdos, seu exorcista signando obsessum dicat.

Signaculum Domini nostri Iesu Christi † impono in frontem tuam. Signo † oculos tuos, vt videas claritatem Dei. Signo † aures tuas, vt percipias verba Dei, ac salutis tuæ. Signo † nares tuas vt percipias odorem suauitatis. Signo † cor tuum vt confitearis peccata tua. Signaculum Dei Patris † Omnipotentis, & Filij † & Spiritus † Sancti appono, quod te sanum faciat in omni tempore vitæ tuæ, vt nullam habeat diabolus potestatem in te, nec in aliqua parte tui: Sed Sancta Trinitas diuina tegat te, & perducat in vitam æternam. Amen.

Hic benedicat eum dicens.

Benedicat † tibi Dominus noster Iesus Christus, & custodiat te. ℟. Amen.

Ostendat tibi faciem suam Dominus, & misereatur tui. ℟. Amen.

Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. ℟. Amen.

Pax & benedictio Dei Omnipotentis Patris, † & Filij, † & Spiritus † Sancti descendat super te, & maneat tecum in æternum. Amen.

De præseruatione à Lamiis & magicis morbis conducunt scripta in lib. 3. cap. 37. & 8. & in lib. 4.

FINIS.

Paginæ	*Lineæ*	*Errata*	*Correcta.*
16	4	te	in te
20	34	buinta	quinta
26	20	S ſummas	5.ſummas
43	17	maiomer	maiorem
79	28	Cap.8.	Cap.7.
118	9	in quas	quas